



36d

37  
Ba

George Frederic  
de Boortel

+



I. N. J. 25. 27  
DISPUTATIO JURIDICO-POLITICA.  
DE

# MAJESTATE

ET EJUS JURIBUS,

*quæ vulgò*  
REGALIA MAJORA

vocantur,

Quam  
Consentiente Nobilissimo Jctorum ordine  
in Electorali Brandenburgicâ

*Sub presidio*  
*Viri Spectabilis, Nobilis, Excellentissimi*  
*et Consultissimi*

Dn. FRIDERICI von JENA,

Professoris Publici Ordinarii ac Amplissimæ  
Facultatis juridicæ p. t. DECANI,

Promotoris ac conterranei sui perpetuò colendi,

Ad diem 17. Maii horis solitis

*publicè defendet*

Gans Bernhardt von Rößschau /

Nob: Anhaltinus A. & R.

ANNO M DC LIII.

---

Eyprimebat typis KOCHIANIS

JOHANNES ERNESTUS, Acad. Typ.





VIRIS,

*Magnificis, Generosis & perquam  
Strenuis*

**Dn. THOMÆ à KNESEBECK**, Serenissimo  
ac Potentissimo Electori Brandenburgico à Consiliis in-  
timis, ut & Camerae judicialis Consiliario Gravissimo, Hæredi-  
tario in Eylsen / etc.

**Dn. OTTONI à SCHWERIN**, Serenissimo  
ac Potentissimo Electori Brandenburgico à Consiliis Se-  
cretioribus, ut & Camerae Judicialis, Negotiorumq; Feudal:ũ  
Consiliario Gravissimo, nec non Serenissimæ Principis Electri-  
cis Aulae Magistro, Hæreditario in Oldenwigshagen / Wistock /  
Orwitz / Müdow / etc.

**Dn. CHRISTIANO ERNESTO KNOCHEN**,  
Illustrissimorum ac Celsissimorum Principum Anhal-  
tinorum Consiliario intimo, & districtus Cothoniensis Guber-  
natori Meritissimo, Hæreditario in Trinum / etc.

*Dominis suis Patronis atq; Promotoribus omni honoris  
& Observantiae cultu devenerandis*

Exercitium hocce Academicum  
offert

**Hans Bernhart von Köhschau.**  
A. & R.





# I. N. D. N. J. C.

## Thesis I.



E Majestate ejusq; juribus acturis, non opus fore puto, materiam per se satis illustrem atq; magnificā encomio aliquo exornare, nisi solem facibus adjuvare, aut superfluis impendiis laborare dici velimus. Quare sepositis omnibus verborum ambagibus disputationem in nomine Domini nostri Jesu Christi exordimur.

## II.

Et quamvis de rebus potius solliciti esse debeamus, cum tamen prior vocis seu verborum soleat haberi ratio juxta *l. 7. in fin. ff. de supellect. leg. l. 1. ff. de rebus credit*: Idem & nobis meritò sequendum erit: Dicitur autem Majestas à plerisq; cum Festo à magnitudine *Brautlacht. in Epit. juris pr. public: c. 2. thes. 6. Vulce. in §. 3. instit. de judic: public: n. 3. Eie benthäl Coll: Polit. disput: 7. thes. 1. Harprecht in §. 3. instit. de public. judic.* est Majestas quasi major status; Hinc nihil majus, nihil sanctius esse Imperiali majestate Imperator ait, *in l. fin. Cod: de LL.* Secundum alios à majus, sicut à vetus vetustas, à tempus tempestas.

## III.

Variè accipitur, tribuitur enim vel rebus divinis, vel humanis: Divinis vel verè, ut *DEo, l. 32. §. 4. ff. de receptis arbitr.* vel falsò, quo sensu majestatem pro DEâ honorarunt:

Humanis tribuitur vel animatis, vel inanimatis: Inani-



matis, quando dicitur, loci, orationis vel linguæ majestas,  
 & ita externus, quidam splendor indigitatur, quomodo lin-  
 guæ Hispanicæ à nonnullis majestas vindicatur, quādo cum  
 DEo hispanicè ob majestatem, cum principibus Italicè ob  
 gravitatem, cum fœminis Gallicè ob gratiam & suavitatem,  
 cum hostibus Germanicè ob terrorem loquendum aiunt.  
 Animatis dum tribuitur, sumitur (1) pro autoritate ac ho-  
 nore personæ, quæ externo corporis habitu conciliatur (2)  
 pro potestate publicâ non tamen summâ, quæ vocis signifi-  
 catio habetur *in l. 9. ff. de jurisdic.* ubi contempta Prætoris  
 majestas vindicatur (3) pro summâ potestate, i. e. pro eâ po-  
 testate, quæ superiorem non agnoscit, hæc q; significatio no-  
 bis hîc erit propria; Quam definimus, **QVOD SIT SUMMA  
 POTESTAS.** Aristoteles quando majestatis naturâ demōstra-  
 re vult *l. 3. Polit. c. 6.* Eam dicit esse id, quod in civitate ubiq;  
 imperat, seu præcipuum est *c. 7.* Majestas est id, quod in  
 civitatibus præcipuum. Eam tamen potestatis significatio-  
 nem hic non intelligimus, quâ opponitur actui, ut, quando  
 res dicitur esse actu vel potestate seu potentiâ; Sed eam hîc  
 volumus intellectam, quam invenire licet *in l. 215. ff. de V. S.*  
 ubi sumitur pro licentiâ & imperio *teste Andrea Alciat. de  
 V. S. in bâc l. in princ.*

#### IV.

Et cum multis competat potestas publica, quibus ta-  
 men non competit majestas, ideò majestatem non defini-  
 mus simpliciter potestatem, sed in super addidimus esse  
 summam. Summa autem dicitur, quod nullius superioris  
 potestati sit obnoxia nisi solius DEI, qui eam proximè & im-  
 mediatè antecedit, & cujus vicem sustinet in hoc mundo,  
 neq; enim quod ea potestas à populo in principem lege Re-  
 giâ translata dicatur *l. 1. ff. de const. Princip.* propterea origi-  
 nem à populo habet, cum & ipsa, quæ ab initio penes popu-  
 lum



lum fuit & in imperatorem translata, à DEO fuerit. Omnis enim potestas est à DEO & nulla sine DEO *Rom:13.* Ipse transfert regna & constituit Reges. Quod etiam passim in jure nostro ipsi fatentur imperatores *No v. 28. cap. 4. in fin.* Hanc nos gratiam DEO referendam putavimus, qui imperii coronam nobis imposuit.

V.

Quemadmodum igitur illud dicitur summum, quod à nullo alio dependet, seu quod nullum superius recognoscit, & summum non sit, quod alicujus imperio subjaceat: Ita nec illa recte meo quidem judicio dicitur esse summa, in eadem republicâ parem quæ agnoscit atq; æqualem: Non enim potest ferre parem, eo quod parem ferendo, quodammodo superiorem habere videatur, & illa potestas cujus natura talis est, ut parem seu æqualem pati possit, eo ipso definit esse summa; siquidem par in parem potestatem non habet *l. 4. ff. de recept. arbitr. l. 13. §. intempestivum ff. ad SCtum Trebellian.* Et inferius servit superiori, non æquale æquali *arg. l. 2. in princ. ff. de aquâ & aqua pluvi. arc.* Ubi enim duæ inveniuntur potestates, quæ pares sunt, neutra certè erit summa, cum neutra sit supra omnia, quod tamè summæ potestatis natura postulat. *Cell. lib. 2. Polit. cap. 5. thes. 11.* Id verò non requirimus, ut hanc potestatem exercent in toto mundo & omnes mundi partes sub suo habeat imperio. Nihil enim loci amplitudo ad hujus summæ potestatis essentiam confert. Sed sufficiet, si uni tantummodo civitati imperet, ita, ut nullum in toto terrarum orbe superiorem recognoscat, id est modo liberè imperet.

VI.

Hinc sponte sequitur Principem politicè & propriè sic dictum solutum esse legibus, quod tamen alii ad merè civiles restringunt: Distingvunt enim ita leges, ut aliæ divinæ,



aliæ humanæ sint. Legibus divinis dicunt Principem non esse solutum; neq; humanis omnibus: discescunt enim eas in naturales & civiles: Naturales iterum in specie sic dictas aut gentium, & his etiam legibus Principem teneri asserunt; Neq; etiam civilibus omnibus solutum esse, sed tantum à se ipso latis, non verò iis, quas antecessores tulerunt, imperii tamen seu fundamentales leges transgredi eum non posse. *Plura vid: apud Brautl. in Epitom. jurispr. public. l. 3. c. 1. pag. 63. Reink. de R. S. & B. lib. 1. class. 3. c. 12. pag. mihi 82.* Alii rem hanc componunt, dum distinguunt inter vim coercitivā & directivam: Alii Principem solutum esse legibus, intelligendum esse, de solennitatibus, quas leges requirunt, has observare eum non teneri & hanc suam opinionem confirmant *ex l. 3. Cod. de testament.* Sed hæc angusta nimis atq; plebeja sententia est. Alii verò asserunt solutum esse Principem legibus à justitiâ distributivâ descendentibus; non esse solutum legibus descendentibus à justitiâ commutativâ *Oldendorp. ad l. princeps ff. de LL.* alii deniq; distinguunt inter honestatem & necessitatem.

## VII.

Expediri hæc res videtur facilè posse, si propriè semper ac politicè loquamur; hoc est, si principem propriè sic dictum & leges propriè sic dictas & quatenus in politicâ disciplinâ considerantur, & nos consideremus: Quomodo princeps omnibus omninò legibus sive propriis sive communibus approbatis ex jure naturæ, gentium & divino desumptis rectè & politicè solutus dicitur. Neq; hanc nostram sententiam isti oppugnant, qui principem vel majestatem ad divinum & naturæ jus absolutum adstringunt, hoc ipso enim principio nostrum assertum fulciri atq; sustineri in conflictu demonstrabimus. Et ab hac nostrâ thesi non excipimus leges fundamentales, sed si eæ adsint, quibus constringatur

gatur



gatur Princeps illibatam Majestatem penes unum solum re-  
sistere, adeoque objectum thesisi nostræ esse negamus.

### VIII.

Ex hæcenus dictis suâ sponte ruit illud paradoxum, quo  
majestas alia dicitur realis, alia personalis approbatum à *Be-  
sold. lib. 1. Pol. c. 2. Althus. Polit. cap. 9. Kirchner. de republ. disp.  
2. Liebenthal Coll. Polit. Disp. 7. thes. 3. Brautlacht. in Epit. ju-  
risprud. publ. lib. 3. cap. 2. thes. 7. Jacob. Martin. lib. 2. Polit.  
cap. 20.* Secundum quos Majestas realis est majestas, quæ  
cum imperii seu reipublicæ eminentiâ nascitur cumque eâ in-  
terit, vel quæ reipublicæ Regno vel imperio est innata &  
propterea cœva, neque per decessum Regis vel Principis ex-  
pirat, sed quam diu corpus regni durat, permanet, & sub i-  
psis inter-regnis, & alternationibus gubernationum subsistit,  
interitque solum, cum ipsa reipublica Personalis, quæ in personam  
imperantem confertur, cum eâ perdurat, eam sequitur, quo  
abit, & tandem cum eâ concidit. Verum facile hi seipsum  
conficiunt; nam cum omnes fateri necesse habeant, & fate-  
antur quoque Majestatem esse summam nemini que subjectam,  
summum vero sit, quod est supra omnia, quod non agno-  
scit æquale, cum eo ipso, quod æquale agnoscat, desinat esse  
summum, & duæ potestates summæ eodem tempore in u-  
nâ eademque reipublicâ esse & subsistere per rerum naturam  
haud possint, igitur aut personalis erit summa aut realis. Si  
realis, prout inter ipsos convenit, hæc tanquam superior  
personalem sibi obstringet, *inter quos est Jacob. Mart. lib. 2.  
Polit. c. 20. Reimb. König part. 1. theatr. polit. c. 23. Matth. lib. 3.  
Systh. Polit. exerc. 2. Sect. 1. Reimb. König d. loc. n. 12.* Dicit re-  
alem Majestatem improprie & metonymicè esse Majestatem  
cum proprie loquendo Majestas sit in re animatâ & vivente.  
Hæc autem ratione nullam plane dari Majestatem optimè  
demonstrat *Dr. Balth. Cellar. lib. 2. polit. c. 7. thes. 22.* Sicuti  
enim



enim homo pictus, qui est homo improprie dictus, non est homo, & Herodes qui improprie vulpes est, non est vulpes; & Deus, qui improprie dicitur habere brachium, non habet brachium: Ita nec Majestas improprie sic dicta, Majestas est, concluditur itaque non dari Majestatem vel personalem vel realem; sed unam tantummodo simpliciter sic dictam.

### IX.

Habet hæc summa potestas maxima jura & emolumenta, quæ utut Essentiam ejus constituent, tamen tanquam effectus considerari possunt. *Arnis. lib. 2. de jur: Majest. c. 1. n. 3. Reink. de Reg. sec. & Eccl. lib. 1. class. 5. c. 6. n. 97;* Et à DD. communiter definiuntur, quod sint jura Principi vel reipublicæ competentia ad reipublicæ decus atque salutem tuendam. *Sixtin, lib. 1. c. 1. n. 14. Schneid: de feud. part. 2. n. 94.* quæ jura Majestatis vel Regalia faciunt majora alia, alia minora, à quâ utpote communi traditione nobis non est integrum recedere. Et sunt quidem majora nobis ex potestates, quæ versantur circa majores & præcipuas res; Minora, quæ circa minores. Cum verò imperium summæ potestatis non circa profana modo, sed & sacra versetur, ut peculiari tractatu eruditè ut omnia Hugo Grotius demonstravit, pauca prius de his præmittemus. De profanis postea.

### X.

#### Potestas circa Religionem.

Quantum autem de Principis potestate Ecclesiastica dicetur, id intellectum volumus de externis quam maximè actionibus, quas materiam primariam imperii humani Hugo Grotius in tract. de imper: summ: Potest: circa sacr: c. 3. facit, ita tamen ut internas penitus non excludat, sed materiam secundariam constituat, non propter se, sed propter externas: nos hæc hæc vice missa facimus & ad alia, accedimus,



mus, in quibus tamen & nunc ea sequemur, quæ communi-  
ter tradita sunt, brevissimè tamen, & solent à DD. conside-  
rari duo: (1.) Fundamentum hujus potestatis: (2.) administra-  
tio seu regimen ipsum. Fundamentum est potestas Ecclesia-  
stica, quæ quidem ab initio Principum fuit, quam tamen in-  
solentia & superbia Pontificum partim astu, partim vi im-  
minuit, immò penitus ad se traxit, usq; dum ipsi DEO TER  
OPT. TER MAX. probata quorundam pietas in Imperio  
imprimis nostro Romano, qui Pontificiis tenebris & nugis  
depulsis & relictis, veritatem postliminio revocaverint, do-  
ctrinamq; puriorem instaurarint & illustrarint, quo facto  
Principes jura sibi competentia vindicarunt iterum, quæ  
postea pace religiosa facta, corroborata & confirmata atq;  
Ecclesiastica jurisdictio quasi de novo Principibus & stati-  
bus Augustanæ Confessioni addictis restituta & Pontificum  
Potestas non coarctata modo, sed in eorum terris planè su-  
spensa X. zu Augspurg de anno 1555. S. Damit denn auch  
*Brantlacht in Epit. jurispr. public. lib. 5. c. 1.*

## XI.

### Jus Conciliorum indicendorum.

Administrationem seu regimen ipsum quod spectat,  
conspicuum est consistere id in gubernando, in defenden-  
do *Arum. Vol. 1. Discurs. 30. thes. 36.* & propagando. Guber-  
natio vel doctrinam, vel disciplinam, vel personas Ecclesia-  
sticas complectitur & concernit. Primū itaq; jus majestatis  
Ecclesiasticum erit Conciliorum indictio, quæ solus indicit  
summus Princeps, hodie Imperator Romanus scientibus &  
consentientibus Electoribus, Principibus & reliquis statibus  
Imperii X. A. zu Augspurg de Anno 1551. S. Dieweil dann sich/  
*ibi und den Churfürsten/Fürsten und Stände / und der abwe-*  
*senden Räte/Botschafften un Gesandten im jüngsten Reichs-*

B

Ab



Abschied in diesen den Weg des Concilii angenommen / denselbigen bewilliget / uñ sich dem Concilio unterwürfflich gemacht  
*Cran. de pace relig. p. 2. probl. 6. Norderm. de Jur. Princip. 8. 22. Reink. de reg. sec. 5. Eccles. lib. 3. cap. 4. n. 4.* nullo autem modo Pontifex, ut ut id sibi cum suis asseclis tribuat *vid. Statliche Aufsführ. der Ursachen darumb die Chur und Fürsten / des Babstis Pii IV. ausgeschriebene vermeinte Concilium zu Trient nit besuchen köntē / noch zu besuchen schuldig gewesen.* Et id quidē verum de Oecumenicis seu universalibus, particularia & ab aliis haberi possunt. Ita status imperii habent jus hoc convocādi & pro restaurādā doctrinæ puritate, retinendā disciplinā Ecclesiasticā & evitandis scandalis laborandi *Reink. lib. 3. Clas. 1. Cap. 4.* Et cum singulis competat; etiam pluribus conjunctim sumtis. Hinc cordati viri haectenus è maximo tūm Reipublicæ, tūm Ecclesiæ bono futurum existimarunt, si Principes vel pauci inter se agerent, ut quantum fieri posset uniformes & verbo DEi convenientes ceremoniæ in ditionibus suis observarētur, in primis verò prohiberetur, ne quis pro concione calumniosè vel cadaverosè loquatur, ejusmodi verò prava & maximè detestanda libido, quæ præter turbas atq; dissidia nihil spirat, severè coerceatur; pessim⁹ est mos suggestum in scenam vertere & dulcissimam Evangelii vocem in Commœdiam veterem; Ipsi veteres Romani rem indignam putaverunt, si quis crimen audiret eo loco, quo refellendi copia non fuit, sunt verba Grotii, ut & quæ nunc sequuntur, injuriam faciunt Evangelio, qui clavium nomen tribunitiis concionibus obtendunt & summarum potestatum facta, aut ambiguae interpretationis, aut parum aut certè aliis minus nota, quantâ possunt acerbitate traducunt palam, idq; apud plebem, quam talib⁹ factis mederi nec jus nec fas est: quum interim more humani ingenii, spontè infensa potentibus, pessima libenter de  
iis



iis audiat & facile credat; unde necessarium est seditioes sequi, aut, quod seditioibus proximum est, contemptum summi Imperii, neq; enim frustra à sapientissimo Scriptore dictum: *Ambiguos de Principe sermones quæq; alia turbamenta vulgi.*

## XII.

### Jus ferendi leges Ecclesiasticas.

Sequitur potestas ferendi leges Ecclesiasticas, quæ & die *Kirchen-Ordnung* vocantur, quo etiam die *Ehe-Ordnung* pertinet; feruntur autem vel de ordine in Ecclesiâ servando, vel de causis & rebus ad Ecclesiasticum regimen spectantibus. Cum verò summo Principi hoc jus competat, non immeritò promulgationem earum legum ad ipsum spectare dicemus, *arg. l. 2. ff. de jurisdic. Et benè Hugo, Grotius d. tr. cap. 8.* Nullâ in re magis elucescere, inquit, vim summi Imperii, quàm quod in ejus sit arbitrio, quænam religio publicè exerceatur, idq; præcipuum inter Majestatis jura poni ab omnibus, qui politica scripserint,

## XIII.

### Jus consistoria constituendi.

Potestas judicia constituendi suprema, nimirum consistoria, ad quæ tamen opus non est, ut necessariò adhibeantur & Clerici & Laici; Nam & hi soli Principem vel Episcopum repræsentabunt *Ziegl. ad prax. Calvol. S. Landsassii concl. 1. n. 189. Bertram de pac. relig. conclus. 69. Norimb. de jur. Consist. concl. 58.* siquidem autoritas non ex qualitate personarum, sed potestate constituentis metienda est, & nihil urget in contrarium, quo minus causæ consistoriales in ipsâ Principis etiam inferioris cancellariâ agi & decidi possint. Unde *Laur. Obm. de Jur. Episcop. concl. 18. lit. a. in fin.* Veruntamen, inquit, & illud observavimus, sicubi nullo singulari consti-



tuto consistorio omnes lites & causæ indistinctè in cancel-  
lariis expediuntur, nihilominus Citationes & decreta in  
controversiis Ecclesiasticis ita stylisari, ut nomine consisto-  
rii emanatæ videantur, subscribendo plerumq; *Fürstliche*  
*zur officialen oder zum Consistorial Sachen verordnete / rc. add.*  
*Ziegl. Bertr. & Norinc. ad. ll.* qui dicunt laicos solos ex de-  
legatione, ita Episcopum repræsentare posse. Unicum sal-  
tem addimus Electores, Principes & status imperii nostri  
jus consistorii expressâ conventionem & consensu in inferio-  
res & subditos transferre posse *Norimb. d. l. 0. 45. per ibi alle-*  
*gat.* Et per concessionem acquiri posse minus dubii habere  
*DD. dicunt arg. l. 1. ff. de off. ejus cui mand. est Jurisd. l. 5. ff.*  
*de Jurisd.* quodq; per cessionem & concessionem Domini  
territorialis peræquè veniat jus cōsistorii legitimè inferri ex  
*dd. ll. dicit Christian. Weber. Theol. Sax. de Jur. & rat. consist.*  
*c. 41. p. 528. & c.* Quod si itaq; jus consistorii multo magis  
prima instantia reservata appellationi, sed de his non plura.

#### XIV.

#### Jus Episcopos eligendi & Primariarum precum.

Potestas non tantum Episcopos eligendi & investien-  
di, sed & eosdem de solio dignitatis deturbandi, & pro deli-  
ctorum qualitate coercendi *Duaren. lib. 3. c. 2. de Sac. Eccles.*  
*minist. ac benef. qui idem lib. 1. c. 6.* conquerentibus immeri-  
tò clericis, respondet; Huc etiam spectat jus primariarum  
precum, quarum virtute in Territorio Principis Augusta-  
næ confessioni addicti beneficium vacans in alium trans-  
ferri ab Imperatore potest, *Arum. ad A. B. disc. 3. 0. 34. Reink.*  
*lib. 3. Class. 1. cap. 9. n. 56. Clut. Syllog. Rer. quotid. th. 19. lit. B.*  
*Schuz/de vicariat. lb. 11.* Quod ipsum hodiè pace Germa-  
niæ Osnabruggi factâ confirmatum §. 5. n. 5. Quæ Angliæ  
& Galliæ Regibus regali jure competunt *Sixtin. de reg. lib. 1.*  
*cap.*



cap. 2. n. 57. *Arnis. de jur. maj. lib. 2. c. 6. n. 10. Besold. dissert. de Majest. in genere section. 1. c. 4. n. 3. & sequent. tradunt.*

### XV.

#### Jus ferias generales ordinandi.

Potestas ordinandi ferias generales per l. 4. *Cod. de feriis. Reink. de reg. sec. & Ecc. lib. 3. Class. 1. c. 2. n. 4. Wesemb. in paratit. ff. de feriis n. 4.* Qui dies apud Gentiles olim festi dicti fuerint, & qui hodiè dies festi & feriæ dicantur & unde originem suam traxerint, *vid. apud Dn. Reink. d. l. n. 1. 2. 3.* Dicimus autem generales, propterea, quod inferiores Principes & status imperii possint constituere speciales seu locales, in suis territoriis. Sicuti enim solus Princeps leges fert generales, ita etiam ferias constituit generales, & quem admodum inferiores Principes potestatem locales ferendi leges à Principe habent concessam, ita etiam ferias ordinandi locales.

### XVI.

#### Jus Advocatiæ.

Gubernationem superficiariè saltem delibatam, sequetur eodem filo Defensio: Non enim sufficit à Principe gubernari tantum Ecclesiam, sed insuper etiam ejus est, eandem defendere omni modo contra omnem vim, injuriam & fraudes. Unde Advocatia Ecclesiæ, quæ nihil aliud est, quam jus defendendi & protegendi Ecclesias, soli Principi jure proprio competens, aliis autem ex concessione summi Principis in suis territoriis: *Reink. lib. 3. c. 9. n. 61.* Nam cum summus Principis finis sit salus populi, quæ suprema lex dicitur; Salus Populi verò non tantum consistat in curâ rerum secularium, sed & earum, quæ Deum immediatè concernunt, ipsius sit accuratè prospicere, ut tam Ecclesia, quam Respublica pacata & ab omnibus erroribus, hæresibus, Nu-



gis & superstitionibus aliena sit & maneat, poterit hæreticos coercere & in eosdem animadvertere quoq; sed qui propriè hæretici sint? & si qui sint, quâ poenâ afficiendi? Id verò nos quidem temerè non definimus. Minimè tamen cum istis facimus, qui indistinctè & tam simpliciter statim rotas, ignem & ferrum poscunt, quorum argumenta jam dudum Pii pariter atq; Eruditi refutarunt, nec nos capimus, quomodo sanguine hominis expiandum crimen clamitent, quod tamen non nisi errorem mentis inculcent. Nam eos planè non moramur, qui Pacis & status publici Corruptoribus & turbatoribus ultimum supplicium dictant, id enim & nos quoq; justum atq; necessarium existimamus, videri poterit *Wesemb. de Hæret. n. 6. Dn. Benedic. Carpz. pract. crimin. p. 1. 9. 44.* Ubi dicit: Hæreticos post factam legitimam admonitionem dogmata sua pertinaciter retinentes, aliòsq; docentes exilio esse plectendos nequaquam morte naturali.

## XVII.

### Jus Academiæ erigendi.

Actum præcedenti thesi de defensione Religionis, restat, ut de propagatione ejusdem agamus. Fundamentum autem præcipuum nos quidem ponimus in pio Principe & piis Consiliariis, qui ita curam publicæ rei habent, ne DEi negligant, quod inde apparet quam maximè, si non modo scholas & Academiæ erigant, sed & erectis de Piiis, Doctis & industriis Viris prospiciant, hos verò ita sustentent, ne egeant; Theologos Cordatos & Puros alant, qui non ex ambitione & fastu, sed verbo DEi rem agant, Ejus Majestatem & superioritatem devotè adorent, & de Eo non aliter, quam cum tremore loquantur, à rixis abstineant, & vineam innocenter colant, cæteros odio & exilio dignos habeant, quem in finem visitationes, uti vocari solent, instituant & habeant quoq;



quoq; de quâ interim videri poterit. *Reink. de R. S. & E. lib. 3. Class. 1. c. 7.* An armis propaganda Religio? Et an ea inferri possit iis, qui propositam Religionem Christianam amplecti nolint, tractat *Hug. Grot. de J. P. & B. lib. 2. c. 20. §. 48.* Nos credimus, Bono Principi incumbere, quantum in ipso est eo laborare quàm maximè, quo vera religio incrementa capiat: illicitis verò mediis DEum res suas promotum velle ut crederemus, hæctenus adduci non potuimus; ast media licita si quis spernat & iis non uti velit, is apud nos indigni & improbi mercenarii nomen meretur, prudenter tamen id fiat & maxima cum cautione. Cæterum ut ut DEO magis quam homini parendum sit, quod si tamen Princeps transgrediatur limites, & vim ipsam intentet & inferat quoq;, subditis tamen non nisi patientiæ gloriam relinquimus, quâ de re uberius præter alios videri poterit *Grot. de Imp. Summ: potest: Circ: sacr. c. 3. & 4.* Solent aliàs quoq; distinguere inter publici exercitii prohibitionē, & violētā & crudelē conscientiarum coactionem; Illam Principi tanquã summo capiti concessã esse: Hanc non, ad quod nota Stephani Regis Poloniae verba adducunt, DEum tria sibi reservãsse, in quibus nec velit nec possit parem pati. (1) Ex nihilo aliquid facere (2) Futura scire (3) dominari conscientiis: Nemo enim cogi potest, ut credat id, quod nolit, aut ut non credat, quod velit.

### XVIII.

Parcissimè hæctenus & pro modulo ingenii nostri delibavimus Ecclesiastica Majestatis jura, restant Politica, & dividi hæc jura in majora & minora jam supra Thef. 9. dictum, quæ hîc repetimus, & testantur id *Arnis. lib. 2. c. 1 n. 8. Sixtin. de reg. lib. 1. c. 2. n. 1. Boreholt ad c. unic. quæ sint regal. n. 3. Vultej. de feud: lib: 1. c. 5. n. 7. Brautlache. Epit: jur. prud. lib. 3. c. 4. thef. 6. Bocer. de regal. c. 2. n. 1. qui n. 4. dicit jura hæc*



hæc commodiùs dividi posse in regalia Majestatis & regalia  
fisci.

### XIX.

#### Jus condendi leges universales.

Majorum Regalium primum erit potestas condendi  
leges universales, quæ omnes & singulos imperio subjectos  
obligant *l. ult. §. 1. Cod. de LL. l. 1. ff. de constit. Princip.* Hoc e-  
nim præcipuum caput est Majestatis teste *Bodin. lib. 1. de re-  
public. cap. 10. Besold. de Majest. sect. 3. cap. 2. n. 1.* Is enim,  
qui summus est leges dat, non accipit, nisi à DEo, qui sicut  
supra omnia, ita quoq; supra Principem, *Clapm. lib. 1. c. 13.* I-  
taq; leges ferre potest, non sui tantum temporis hominibus,  
sed posteris in omne valituras ævum *Enekel. de privil. lib. 1.  
c. 4. n. 4.* Quoad intentionem legumlatoris, nisi corrupto  
Reipublicæ status legem extorserit, quæ nec quoad intenti-  
onem perpetua esse debet. Diximus universales seu gene-  
rales, quas in imperio nostro imperator, cum consensu Ele-  
ctorum & statuum condit & istæ leges recessus imperii vo-  
cantur. *Carpz. de L. Reg. Germ. c. 3. §. 1. n. 10.* Nam localem  
& specialem etiam inferiores Principes & status Imperii in  
suis territoriis vigore superioritatis territorialis ferre pos-  
sunt & promulgare *Brautlacht. lib. 7. c. 4. Wesemb. in paratit.  
ff. de LL. n. 3.* quæ ordinationes Provinciales Landes-Ordnungen  
vocantur, quas contra jus commune valere DD.  
communiter tradunt, *Andr. Knich. quondam Cancellarius  
Anbaltinus de jure territ. c. 1. n. 365. Ziegl. in addit. ad Cal-  
vol. prax. ad §. Landsassij n. 125. Gail. de Arrest. imp. c. 2. n. 1.*  
Atq; eas quidem necessariò confirmatione imperatoria nõ  
indigere, ad firmitatem & corroborationem tamen & in-  
dubitabilem in superioribus & extraneis tribunalibus auto-  
ritatem multum operari existimat *Nicol. Beeb. de Stat. Paet.*  
Et Con-



*Et Consuetud. Fam. Illustr. c. 2. p. 38.* Sicuti autem solius Principis est ferre leges, ita quoque earum interpretationem sibi reservavit soli *l. 1. Cod. de LL. l. 9. Et ult. Cod. b. tit. l. 11. ff. eodem Novell. 113. cap. 1.* Nam ubi jus prodiit, ejus etiam interpretatio procedat *cap. inter alia 31. de sentent. excomm.* Non autem hoc ita intelligendum est, quasi Principis interpretatio semper adesse debeat, sed tunc demum, quando lex adeo est obscura, ut nullus sensus ex eâ erui, neque etiam per aliam legem explicari possit, ut aut omninò voluntas Legislatoris percipi nequeat, aut admodum dubia sit *l. 9. Cod. de LL.* Et hæc interpretatio authentica vocatur, ideo, quod ab ipso legislatore fiat, aut à successore, qui eâdem munitus potestate est, alia vocatur usualis, quæ à consuetudine & usu fit; Alia Doctrinalis, quæ Jctis competit. *vid. Franc. Suarez. lib. 6. de LL. c. 1.* & vel declarativa vel extensiva vel restrictiva, & Extensiva vel activa vel passiva, de quibus DD.

XX.

Et cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quid dissolvi, quo colligatum est *l. 35. ff. de R. J.* Ideo Princeps conditor legis, etiam ejus abrogandæ & mutandæ potestatem habet *arg. l. 37. Et 102. ff. de R. J.* DEUS enim principi leges subjecit, eumque legem animatam esse voluit *Novell. 105. c. 2. in fin.* Leges autem non nisi ex urgente necessitate & ratione mutari debent *l. 23. ff. de LL. l. 2. ff. de const. Princ.* Et nihil facilè in Republicâ mutandum Catholicus Politicorû canon est; Hinc Cleon. *apud Tucyd. lib. 4.* ait rectius habere Rempublicam, quæ legibus, licet non exactè bonis, constanter utatur, quam quæ leges subinde mutet, licet in melius, quæ etiam Alcibiadis *apud eundem lib. 6.* sententia est; Et Augusti *apud Dion. lib. 52.* ubi ex hæc causâ monet Senatum, ut leges easdem constanter obseruet. Imprimis tamen hoc verum est de LL, quæ statum Reipublicæ concernunt, quæ

C

de re



de re *Bod. lib. 4. de Republ. c. 3.* In cœteris formæ Rerum publi-  
carum & ingenia eorum, qui subsunt probè ponderanda, in  
Monarchia nihil necessum est, ut Lex populo placeat; In De-  
mocratia ab eo approbanda. Sæpè tamen varietas status ci-  
vilis & humanæ naturæ, quam neq; prævidere neq; præcide-  
re facilè est *Novell. 74.* & status publici utilitas poscit legum  
vel mutationem vel abrogationem: Potest itaq; Princeps  
leges vel mutare vel etiam abrogare ex urgente necessitate.  
Quod jura divina & naturalia absoluta attinet, sunt ex erudi-  
tis, qui ea considerent, quatenus vel à jure Politico sunt li-  
berè relicta vel reprobata, vel si nos mitius loqui volumus,  
in quibus jus civile à jure divino & naturali recessit, idq;  
propter diversos fines & media, quæ quodlibet jus peculia-  
ria habet, ex quo sequitur mutari in quodam à potestate hu-  
manâ & jura divina & naturalia posse, vel neq; approbari,  
neq; reprobari sed libera relinqui. Approbari in Republ.  
non potuit æqualitas, ut omnes in civitate æquales sint, sicut  
de jure naturæ sunt *l. 32. ff. de R. J. Job. ab Höckels Hor. 3. Phil.  
pract. p. 1. c. 2. n. 22.* Constat enim Politia ex speciebus diver-  
sis imperante & obediente *Art. 2. Polit. cap. 2. § 1. Pol. ult.*  
Liberè relicta est Sobrietas, beneficentia, hospitalitas, Lex  
veneri posita est, Julia, nulla mero. Reprobatum jus naturæ,  
quod libertas restricta sit, & servitus introducta. Liberum  
relictum jus divinum est, quoad concupiscentiam in ipso  
corde & animo adhuc latitantem, quale homicidium & a-  
dulterium interius est, huc spectant omnia opera dilectio-  
nis & charitatis tum sui ipsius, tum proximi, quæ obligatio-  
nes, vel quod jus liberè relictum, si neglectum sit, stringit  
quidem conscientias, à Jctis tamen non judicatur. A jure di-  
vino recessisse jus nostrum probat *l. 5. C. ad Scam Orphit.  
l. 3. §. fin. ff. de concubinis l. 3. C. de feriis. l. 29. §. 5. in fin. ff. ad  
L. jul. de adulter. l. 12. Cod. de falsis, Ord. Crimis. Carol. V. art.*



159. *§ seq. Poena in fures statuta*; Quod uti factum, ita non-  
nunquam fieri posse propter commodum aliquod Reipu-  
blicæ & necessitatem, vel ut plurimum quo majus malum e-  
vitetur, cum piis atq; Cordatis Jctis & Politicis credimus.  
Nasutos verò & maleferiatos istos meritò averfamur, qui-  
bus de principe, ejus factis & Constitutionibus malè loqui  
nulla religio est, malè ab eo vibrari Reipub. Corpus deba-  
chantur, ipsi rectè casulæ suæ præesse nequeunt, malè circa  
hoc vel illud dispositum, malè legem ita latam, cum tamen  
tantum absit, ut rem saltem superficialiè capiant, ut ne qui-  
dem per somnium sciant causam, quâ motus Princeps sit:  
Multa apparent & videntur iniqua, quæ revera justa, sana,  
necessaria & statui convenientia sunt; Prudentes rerum, &  
quibus de meliori Luto finxit præcordia Titan, aliter senti-  
unt, & nobis quoq; DEUS & PRINCEPS noster semper atq; u-  
biq; erunt sacri & sancti, addatur *Clapm. de arcan. rerumpub.*  
*lib. 1. c. 13. Arum. Volum. 1. disc. 30. c. 3. thes. 20. Arnis; lib. 2. de*  
*Jur. Majest. c. 3. n. 5.*

## XXI.

### Jus Privilegia dandi.

Cujus autem est mutare leges vel planè abrogare, ejus-  
dem quoq; erit derogare Legi, quod fit concedendo privi-  
legia, cui enim licet id, quod majus, eidem etiam licere de-  
bet id, quod minus est. Solius itaq; Principis erit concede-  
re privilegia *l. 1. § fin. § l. 3. ff. de constit. Princip.* quæ vel per-  
sonalia, vel realia per *l. 196. ff. R. 7.* Illa sunt, quæ personis,  
quibus data sunt, cohærent & unà cum illis extinguuntur,  
neq; personas, quibus datæ sunt, egrediuntur: Hæc dantur  
causæ vel rei, adeoq; non cum persona, sed cum re & causa  
extinguuntur, sicq; in hæredes transmittuntur: Loquimur  
autem de privilegiis generalibus, quarum concessio sum-  
mæ potestatis est, *Dn. Carpz. ad L. Reg. Germ. c. 12. n. 8.* Data

C 2

autem



autem semper intelliguntur jure superioritatis salvo *Sixtin.*  
*de reg. lib. 1. c. 5. n. 3. & seq.* & inducunt à parte concedentis  
superioritatem à parte accipientis subjectionem *Reink. de*  
*R. S. & E. lib. 2. Class. 2. c. 8. n. 25.* Sicuti vero Principis est  
leges condere, & easdem iterum revocare & abrogare, ita e-  
tiam privilegia concedere potest & revocare, quod tamen  
non simpliciter statuendum est, aut enim princeps privile-  
gia proprio motu & ex merà liberalitate concedit, & ea re-  
vocare potest, aut non ex liberalitate, sed per modum con-  
tractus ea dat, & hæc tam facile non sunt revocanda, nisi ma-  
xima Reipublicæ utilitas & necessitas urgeat atq; postulet,  
*Schönborn. Polit. lib. 5. c. 16. in fin. Erenkel. de privil. lib. 3. c. 8.*

## XXII.

### Jus Comitiorum habendorum.

Sequitur jus indicendorum Comitiorum *Bornit. cap.*  
*26.* Quod summi Principis proprium est, ad nullum alium  
spectans: Comititia enim ob causas graves ad utilitatem Rei-  
publicæ & salutem omnium pertinentes indicuntur, cui  
verò magis incumbit eo dirigere actiones, ut Respublica sal-  
va & incolumis sit & maneat, quam Principi, cui salus po-  
puli suprema lex est, qui utut nemini tenetur, DEO tamen  
subjectus est. Apud Romanos quæ & quotuplicia fuerint Co-  
mititia, videri poterit *Gruchus & Sigonius.* Imperator Romanus,  
cum limitatam habeat potestatem, ipsi quidē tanquā capiti  
jus indicendorum comitiorum competit, id tamen non a-  
liter, quam si præcesserit approbatio & consensus Electorū,  
quod passim ex recessibus patet *de anno 1507. S. haben wir ei-*  
*ne gemeine Reichs-Versammlung nach vorgehabten Rath und*  
*gutachtē unser un̄ des heil. Reichs Churfürsten/etc. Reink. de R. S.*  
*& E. lib. 1. Class. 5. c. 8. n. 37.* & imprimis ex *Capitul. gloriosissimi*  
*QVI HODIE IMPERIO PRÆ EST IMPERATORIS FERDINANDI III.*  
*Patific.*



*PACIFICI art. 13.* nec quicquam in iis spreto Electorum & statu-  
tuum consensu statuere potest, sed Cæsareæ authoritati insu-  
per accedat illorum, quod ex solemnibus in recessibus usitatâ  
formulâ videre est, *Als haben wir vns mit des heiligen Reichs  
Ständen/vnd sie mit vns &c.* Ast, quod in Comitibus conclu-  
sum solus promulgat. Reliqua quæ ad Comitibus S. R. I.  
pertinent, & quotuplicia præter generalia sint Consule *Do-  
minic. Arum. & Bernh. Bertram de Comitibus.*

### XXIII.

#### Jus constituendorum Magistratum.

Et cum usum in Republica præstare leges nullum pos-  
sint, nisi sint, qui custodiant eas & exequantur *l. 2. §. 13. ff. de  
O. 7.* Ipse verò Princeps omnibus negociis expediendis non  
sufficiat, nec singulis in locis esse queat *l. 7. Cod. de profess.*  
necesse est aliquos constitui, qui jus dicant, quod fit magi-  
stratus creatione, quod sanè magnum jus Majestatis ad justi-  
tiam expediendam *per text. lib. 2. feud. tit. 56. qua sint regalia  
& tit. 53. §. 1. lib. 2. feud. Boc. de regalibus c. 2. n. 67. Sixtin: de  
regal: lib. 1. c. 5. n. 7.* in Monarchiâ solus Princeps & ita apud  
Romanos dum Respub. Principatus erat: Contulit enim o-  
mne jus suum populus in Principem *§. Sed & quod 6. instit.  
de J. N. G. & Civ. l. 1. ff. de const. Princip.* & idcirco non ad  
favorem populi, sed ad curam Principis magistratum crea-  
tio pertinet *l. unic. ff. ad L. jul. de ambit. l. 57. in fin. ff. de re  
judicat. l. 6. Cod. ad L. jul. repet. cum maxima pars sit mu-  
neris imperatorii teste clapmar. lib. 1. c. 14.* Cujus autem est  
creare magistratus, ejusdem etiam erit deponere: Consti-  
tutus verò ita magistratus ab omni sorde abstineat *l. 6. §. 2.  
ff. ad L. jul. repetund.* manusq; à muneribus alienas habe-  
at, jusq; atq; justitiam omnibus æqualiter administret, quod  
ex verbis *in dict. tit. 56. qua sint regalia* videre est; additur e-  
nim ad justitiam expediendam, quibus indigitatur sanctam



esse hanc Majestatis partem & ab ob omni quæstu alienam: ad hanc thesin legatur omninò *Novell. 8. §. 5. qua de ejus laude Conrad. Rittersb. habet part. 2. c. 2.*

#### XXIV.

#### Jus concedendi jurisdictionem.

Sed & justitia absq; Jurisdictione expediri haud potest; unde Princeps constituto magistratui jurisdictionem tribuet, quæ concessio inter jura hæc Majestatis non immerito refertur. *Bocer. de reg. lib. 2. n. 247. Bornit. c. 21.* Dicimus jus concedendi jurisdictionem esse de juribus Majestatis, non ipsam jurisdictionem, neq; merum imperium: Aliud enim est merum imperium, aliud concessio meri imperii, maximè enim inter se differunt; Hæc de regalibus esse perhibetur: Illud verò non. Idem judicium de jurisdictione ejusdemq; concessione esto. Solet autem Princeps quosdam actus imperii & jurisdictionis sibi soli reservare, teste *Jacobo Bornit: c. 21. p. mibi 208.* qualis est cognitio de crimine læsæ Majestatis *dijudicatio controversarum de Ducatibus.*

#### XXV.

#### Jus ultimæ provocationis.

Adscribitur quoq; juribus Majestatis majoribus ultima provocatio, quæ soli Principi propriè competit *l. 1. ff. de quibus appell. non licet.* Dictum propriè, quia ex speciali concessione etiam alii hoc jus Princeps tribuere potest *ut patet ex d. l. 1. §. 2. & 4. A. quibus app. non licet.* Unde etiam à Præfecti Prætorio sententià appellare fas non fuit *l. 17. ff. de minor. l. 30. Cod. de appellat. l. 1. §. 1. ff. de offic. Præf. Prætor.* Credidit enim Princeps, eos, qui ob singularem industriam, exploratà eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter pro sapientia suâ judicaturos esse,



esse, quàm ipse foret judicaturus. Sic etiam hoc jus Electo-  
ribus competit *Aur. Bull. c. 11.* & quidem omnibus *Carpz.  
de L. Reg. Germ. c. 8. sect. 3. n. 4.* Solum tamen Saxonem  
& Brandenburgicum retinuisse, reliquos non utendo hoc  
privilegium amisisse sunt qui dicant, quos tamen *Dn. Limn.*  
notat *lib. 3. c. 2. n. 20.* qui appellationes Salvo Bullæ privile-  
gio permissas *c. 9. n. 88.* docet, quemadmodum & manife-  
stè errant ii, qui falsò putant Electorem Brandenburgensem  
amisisse & recuperasse iterum hoc jus, de quo videatur *Limn.*  
*d. l. c. 11. n. 12. & 13.* nesciunt enim distinguere novam con-  
cessionem à confirmatione. Eodem privilegio etiam gau-  
dent Archiduces Austriæ, Duces Lotharingiæ, Burgundiæ  
*Arnis. de Jur. Maj. lib. 2. c. 2. n. 3.* & Duces Saxonix, qui non  
sunt Electores *Reink. de reg. sec. & Eccl. lib. 1. class. 4. c. 6. n. 3.*  
Solut tamen Elector Brandenburgicus, non cæteri Marchio-  
nes. Et ut ut non pauci sint, qui privilegia hæc Domui Sa-  
xonix & Electori Brandenburgico data ita coarctent, ut sup-  
plicationem & nullitatis deductionem, non comprehendere  
existiment, *Thom. Mich. de Jurisd. concl. 26.* *Gerlach. Buxtorff.*  
*ad A. B. concl. 94. lit. d. Just. Zinzerling. de appellat. concl. 73.*  
*lit. g. Pugnac, inquit, Camera & Aula Saxonica: Ego me bic te-  
neo & c. add Limnaum lib. 3. c. 10. n. 39. ex Gylm.* Camera non-  
nulla mandata contra Duc. Sax. referentem, nobis tamen  
hæc opinio persuaderi non potuit, ut -pote, quæ clarissima  
concedentis & confirmantis verba impugnet atq; evertere  
conetur: Quis enim quælo horum verborum esset effectus?  
*pp. Also daß von keinen Bey oder End-Brtheilen/Erkântnüs-  
sen / Decreten abschieden / So in des Churfürsten von Bran-  
denburg Mahmen/an dero Hoff gesprochen und eröffnet wer-  
den / in allen Sachen/durch niemandes/ wes Bürden/Stan-  
des oder Wesens der sey/weder an vns/ unser Nachkommen an  
Reich/ oder unser Käyserlichen Cammergericht / oder jemand  
anders*



anders appellire, supplicire noch reduciret werden solle noch möge in keine weise/sondern S. L. und deren Nachkommen / Erkänntnisse/ Urtheil/ Decreta und Abschiede/ sollen ganz kräftig und mächtig seyn/ steht bleiben und vollstreckt werden/ quod si die Erkänntnisse/ Urtheil/ Decreta und Abschiede sollen ganz kräftig und mächtig seyn/ steht bleiben und vollstreckt werden/ profectò neq; per nullitatis deductionen infirmari vel impediri poterunt, aut quis conciliet solidè, Esse aliquid firmum & perpetuò eadem firmitate gaudere, neq; quocunq; modo in keine Weise/retractari debere, & tamen subjacere nullitatis deductioni: Videatur *Andr. Knich: de Sax. non prov. jur. Verb. lit. provoc. nesc. c. 1. n. 100. & seq. Arum: ad A. B. Disc. 5. concl. 17.* Aliter tamen se res habet, si vel protracta vel denegata justitia *Gerlach. Buxt. d. l. Arum. d. l. concl. 18. Ord. Cam. p. 2. tit. 26.* vel objecta incompetentiæ exceptio non attentata, sed rejecta fuerit *Buxtorff. d. l.* Parum autem refert, siue is, penes quem ultima hæc provocatio residet, ipse cognoscat, siue aliis hanc potestatem concedat, perq; illos hoc jus exercent *Cellar. Polit. lib. 2. c. 10. tb. 4.* Nullo tamen temporis spacio à quoquam ne ab illo ad Principē, cui subest, provocetur præscribi potest *Schönb: Polit. lib. 5. cap. 13. & ibi allegati Arum. vol. 1. discurs. 30. cap. 3. tbef. 25.* cum Princeps salvâ superioritate, nequaquam illud à se abdicare possit: Neq; etiam statuto introduci potest, ne ad superiorem appelletur *Mynsing. cent. 1. observ. 14.* interveniente tamen pacto de non appellando inter litigantes, appellationi renunciatur *l. fin. §. fin. Cod. de temp. & repar. app. l. 29. Cod. de pact.* aut sine pacto, si nimirum promiserint ante sententiam in judicio se eo beneficio non uturos *l. 1. §. 3. ff. a. quib. appell. non lic. Treutl. Disp. 33. tb. 3. & ibi Bach. lit. b. & c.* Querunt hîc: An à Principe malè informato ad melius informandum appellari possit? Negativam tuentur *Gail. lib. 1. observ.*



155. n. 7. *Bocer. de regal. cap. 2. n. 242. Carpz. de L. Reg. Germ. c. 9. sect. 11. n. 18. Bachov. ad Tr. d. l. 6. 4. lit. d. p. 1331.* ubi sententiam contrariam falsam & omninò insubtilem vocat, & ridiculum esse, ut ita nobis fingamus, quasi aliam personam, ob qualitatem malè informationis, quam quivis prætereundem, sed ab uno ad alium. Distinguentem tamen *vid. Theod. Reink. de R. S. & E. lib. 1. class. 5. c. 9. n. 53.* Id notum est ab Imperatore malè informato ad melius informandum & status imperii appellatum latis sententiis Anno 1622. 25. Augusti, in causâ hæredum Edovvardi Fortunati, contra Marchionem Badensem Georgium Fridericum, & 1. April: 1623. Ratisbonæ in causâ Hessen Darmstadt contra Hessen Cassel / de quo tamen nos non plura, neq; quem effectum habeat in consilio aulico imperatorio per Pacificat. Osna-brugg. loco usitato in Camerâ Revisionis introducta supplicatio, & quædam Revisio, prudentes Rerum & consiliorum dispensatores id noverint.

## XXVI.

Jus delegandi alicui causam remotâ appellatione.

Speçtat huc jus delegandi alicui causam cum clausulâ appellatione penitus remotâ *l. 1. §. ult. à quibus appell. non lic. Boc. de regal. c. 2. n. 245. Wesenb. in parat. ad dict. sit. num. 5.* Soli enim Principi hoc jus competit, nec præter eum talem quis judicem dare potest: Credit autem Princeps judicem ita datum, pro sapientia suâ non aliter judicaturum esse, quam ipse judicaturus foret *l. unic. §. 1. ff. de offic. Pref. Pref. tor. add. Myns. cent. 1. obs. 4.* qui ita in causâ Württembergi contra Oesterreich judicatum dicit. Vera tamen hæc tantum volunt, si appellatio remota sit; à definitivâ, nam ab interlocutoriâ vim definitivæ non habente, etiam Principem in-

D

ferio-



feriorem appellationem per ejusmodi clausulam remove-  
re posse *Br. in l. ult. C. de sentent.*

## XXVII.

### Jus creandi Nobiles.

Sequitur jus creandi nobiles, cum omnis dignitas ju-  
bente Principe sustineatur *l. 5. Cod. de dignitat.*: ita ut sacri-  
legii instar sit, super dignitatibus quibusdam promulgan-  
dis divinis obviare beneficiis *l. 5. Cod. de divers. rescript. Boc.*  
*de reg. c. 2. n. 7.* Sicuti autem honor proprium virtutis præ-  
mium est, ita etiam honores benè merentibus tantum di-  
stribui convenit, *l. 4. Cod. de stat. & imag.* Princeps autem  
non solum expressè, sed etiam tacitè nobilitatem conferre  
solet, si quem natu ignobilem in venerabilem sacri sui pala-  
tium coetum eligit *l. 2. Cod. de LL. arg. l. 19. Cod. de testament. Boc.*  
*de reg. c. 2. n. 8. Tiraquell. de nobil. c. 6. n. 21.* cum Principes se-  
ipsum spontè ex eorum numero esse profiteantur *l. 8. Cod. de*  
*dignit. & Consilarii pars corporis Principis esse dicantur*  
*l. 5. Cod. ad L. Jul. Majest.* Et ita nobilitati liberi, tam ante,  
quàm post nobilitatem à patre acquisitam nati, pro nobili-  
bus sunt habendi *per l. 5. ff. de senat. Boc. de reg. c. 2. n. 10. &*  
*seq. Tiraq. de nobil. c. 15. n. 7. & seq.* Etiam si matrem habue-  
rint plebejam, cum mulieres honore maritorum erigantur  
& genere nobilitentur *l. 8. ff. de senator. l. 12. Cod. de dignit.*  
*l. ult. Cod. de incolis & ubi quis Boc. d. loc. n. 14. & 15.* Non ta-  
men negandum, quin quoad parentes clarior sit eorum no-  
bilitas, qui tam ex matre quàm patre nobili procreati sunt,  
*Tiraq. de nobil. c. 18. n. 26. mihi pag. 118.* unde ad ludos Eque-  
stres & collegia canonica superiora nemo admittitur, nisi  
quatuor tam maternos quàm paternos avos nobiles per  
longam seriem docere possit *Boc. d. l. n. 17,* vel nisi ipse Prin-  
ceps hujus rei gratiam fecerit noviter nobilitato, quomodo  
ple-



plerumq; clausula inferi solet de *Abels: Brieffen* / uti ha-  
het *Arum. vol. 1. discurs. 16. mibi pag. 454.* Isti verò vehementer  
errant, & in Majores & proprias familias non possunt non  
esse injurii, qui de verâ nobilitate eorum dubitare audent,  
quos hodiè Cæsar & ardens evexit ad æthera virtus: Aut e-  
nim hi veri, uti revera sunt, nobiles erunt, aut & Majores il-  
lorum non veros nobiles fuisse oportet, quod ridiculum sa-  
nè & absolum, ut nunc taceamus, quam graviter in ipsam  
Majestatem peccent: disputare enim de principali judicio  
non oportet, & sacrilegii instar est, dubitare, an is dignus sit,  
quem elegerit imperator. *l. 3. Cod. de Crimin. sacril.*

### XXVIII.

#### Jus instituendi ordinem Equestrem.

Institutio Equestris Ordinis, quam soli Principi tribui-  
mus, utpote cui propriè jura Majestatis competunt *Besold.*  
*de Majestate sect. 3. c. 8. n. 2.* Eques nobili simpliciter ita  
dicto, accuratè loquendo, major est: Qui aut simpliciter  
Equites dicuntur, aut adjecto aliquo ad differentiam nomi-  
ne, quorum varii numerantur, quos omnes hic recensere  
nostri non est instituti, nonnullos saltè, paucissimis tamen,  
attingere lubet. Primus erit Ordo Equitum Aurei velleris  
*Ritter des gùldenen Flusses oder gùldenen Bellis* / à Philippo  
Bono Burgundiæ Duce circa annum 1429. institutus, cujus  
caput hodie est Rex Hispaniæ, tanquam Dux Burgundiæ *Li-*  
*mn. jur. publ. l. 6. cap. 2. n. 23.* Ordo S. Georgii & periscelidis,  
ab Eduardo III. Angliæ Rege institutus & confirmatus anno  
1351. Originem causamq; institutionis tradit *Limn. d. lib. 6.*  
*c. 2. n. 26.* Ordo S. Johannis Baptistæ, qui initium sumpsit  
tempore Phocæ Imperatoris. Is enim imperium Constan-  
tinopoli tenuit circa annum salutis 700. *Volater. Antropolo-*  
*gie lib. 21. c. 6. tit. ordines militares.* Originem hic ordo ha-  
buit perexiguum, quia xenodochium tantum erat pauperū,  
D 2 quod



quod hospites excepit eos, qui sanctam terram visitatum venerunt: Ubi verò à Gothofredo Rege insula Rhodus ipsis concessa incrementum cepit maximum, & sic magister ejus Ordinis creatus fuit, qui aliis jus diceret & præset: Ubi verò Rhodo sunt expulsi hi milites à Solimanno Turcarum Imperatore anno 1523. Insula Melitensis illis a Carolo V. est concessa, unde Germ. die *Johanniter/ Rhodische oder Malthesische Ritter* appellantur *Limn. lib. 6. c. 2. de Jur. publ. n. 53.*

## XXIX.

Jus Reges, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones creandi.

Inter cætera Majestatis jura præprimis splendet Potestas Reges, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones creandi. Prodeunt enim omnes à Principe dignitates, tanquam radii ex sole *Bornit. de majest. Polit. c. 20. pag. 189. Boc. de reg. c. 2. n. 57. Schönborn Polit. lib. 5. c. 15. Exempla vide apud Limn. lib. 2. c. 9. n. 18.* Quamvis neq; necessarium neq; decorum existimemus, ut is, qui nullius subest imperio, & potentia Regali stipatus, id ab alio sibi conferri petat, quod jam per se proprio jure possidet. Quomodo Boleslaus Dux Poloniæ non requisito imperatore Cunrado, sibi Regium nomen sumsit *Naucler. vol. 3. Chronogr. gen. 35. idemq; Præmislaum factitasse refert Cromerus lib. 11. histor. Polon.* Regiam dignitatem ambiit Carolus Pugnax, ultimus Burgundiæ Dux, tempore Friderici III. Imperatoris, sed non obtinuit, quamvis promissam, causam quare ei collata non sit duplicem *Dn. Limn. affert ad Capit. Ferd. III. art. 46. p. 434.* Regibus comparantur Electores *Wahrem. ab Ehrenb. (seu Eberhardt à Weihe) meditam. pro fæder: lib. 1. c. 2. n. 14. 7.* Hinc & Electorum Legati in Imperiali vel Regiâ Aulâ omnium



um Principum, etiam exterorum Legatis, præferuntur, & non nisi coronatorum & actu sceptrum tenentium Regum vel viduæ & Pupilli Regii, ad quem simulatq; compleverit legitimam ætatem, administratio regni pertinet, *Capit. Ferdin. III. art. 4.* Archiducibus Austriae ex singulari privilegio Nobiles, Barones & Comites creandi jus concessum est, tenorem privilegii exhibet *Dn. Limn. de jur. Publ. lib. 5. c. 2. p. 40.* Qui ex *Capit. Ferdin. III. art. 46.* infert, diplomata istos actus attestantia, non in Cancellaria imperii, sed Archiducali scribi & expediri debere *de Capitulat. imp. & Reg. Rom. p. 737.* Ex iis, quæ hæcenus dicta, suâ sponte fluit, posse Majestatem feuda in Ducatum, Principatum, Comitatum &c. erigere, & aperta pro lubitu conferre. Quod nostrum imperium spectat, imperator feudum imperio apertum nemini conferre potest, sed in fiscum & patrimonium publicum refertur *Capitul. Carol. V. art. 24.* ad quem omninò vide *Dn. Limnaum p. 275. & seqq. Ferdinand. II. art. 28.* quo cautum, ne Expectativas quidem concedere possit; idem repetitum in *Ferdinand. III. art. 32.* Usus hisce Serenissimus Elector Brandenburgicus Anno 1623. den II. Febr, in voto suo Ratisbonæ, quod legi poterit *apud Luntorp. tom. 2. act. publ. lib. 6. tract. 24. p. 1164. ibi.* Ihr Kaysersliche Majestet vergebe kein Lehnauch keine Stadt / so sich erledigt / ohne vorbewusst der Churfürsten und Stände des Reichs.

### XXX.

Quod si contentio de ejusmodi feudis regalibus oriatur solus Imperator exclusis statibus non judicat *Dn. Limn. de Jur. publ. lib 2. c. 9. à n. 32. usq; ad 77. Georg. Schubhard de Austreg. c. 5. n. 126. p. 259.* nihil decidit, sed refert *ex Job. Heiderm. disp. ad ord. Cam. 3. §. 34.* hodie non paucos, eosq; viros Principes de salutari pristini imperii statu ex archivis suis edoctos, cum hæc negativâ transire. Et habet *Autor der*



*Donauvert: beständigen Information juris & facti in Beylaigen part. 1. p. 253. & seqq. sub n. 17. 18. 19. 21. 22. & 22. quæ huc faciunt, nec non ipse Imperator Sigismundus sub d. n. 22. p. 261. testatur de more, stylo & consuetudine sacri Romani Imperii. Et hætenus si quid contra tentari voluit, masculè se opposuisse Principes, causæ partim adhuc indecisæ, partim decisæ testantur. Et à Aut. d. Inform. Donauvert, obviatum objectioni, quæ à nonnullis urgetur, sequentibus verbis pag. 142. part. 1. Item Es habe der Keyser die Ladung erkennet / terminum erstreckt und verschoben / auch ein Wandel gesprochen / vnd daß die Parteyen vor Ihme erscheinen sollen / wird auch sonst durchaus alles in des Keyfers Namen / anders nicht als ob die Sache allein vor demselben gehörete / referiret, da doch nichts desto weniger die Chur- vnd Fürsten des Reichs als Pares & Assessores auch darzu gezogen / vnd mit iren Rath und zuthun decidiret worden / wie es dann auch anders nicht am Cammer-Gericht gehalten / sondern alles zwar in Ihrer Majest. als capitis Nahmen / aber doch ex voto & suffragio statuum verhandelt wird.*

### XXXI.

#### Jus Comites Palatinos creandi.

Nec est postremum jus creandi Comites Palatinos *Boc. de reg. c. 2. n. 246. & ibi alleg. Reichs Hoff Graffen / quorum officium cum magnâ & eximiâ est conjunctum dignitate, jusq; tale exercent, quod ad majora pertinet jura Majestatis Schönb. Polit. lib. 5. c. 15. Reink. de Reg. S. & E. lib. 1. class. 4. c. 13. n. 19. Bornit. de Majest. Polit. c. 20. p. 193. Quod tamè uniforme non est, sed diplomatis omne æstimandum. Alii enim ipsi Comites Palatinos creare, nobilitare, gradum doctoralem in omnibus facultatibus conferre: Alii insignia tribuere; Alii tutores & Curatores confirmare, communiter tamen notarios & tabelliones creare, spuriosq; legitima-*  
re pos-



re possunt *Tiraq. di Nobilit. c. 23. n. 20.* Quorum jura ex eorum privilegiis addiscenda sunt, & à *Limn. de jur. publ. lib. 4. c. 4.* plura referuntur.

### XXXII.

#### Jus creandi Doctores.

Et cum aliis à Majestate hujus juris exercitium concedi possit, multò magis ipsa immediatè conferet; Creat itaq; Doctores, Licentiatos in omnibus superioribus facultatibus, qui bullati appellantur, Magistros artium, Poëtas Laureatos & Baccalaureos, *Boc. d. l. n. 246.* Qui quin iisdem cum iis qui in Academiis promoti sunt, gaudeant immunitatibus & privilegiis non dubitamus *vide Bach. ad Tr: Volum. 1. disp. 1. b. 7. p. 29.* Tabelliones seu Notarios *Boc. de reg: c. 2. n. 161. Bornit: de Majest. Polit. c. 20. p. 193. Besold. lib. 1. Polit. c. 4. n. 49.* Propterea nemo nisi potestatem hanc à Majestate impetaverit & concessam habeat, quales sunt Comites Palatini, Notarios creare potest. *Wesemb. parat. ff. de fide. instrum. n. 3.* De abusu & incitiâ Notariorum, quod inveniantur, qui ne congruè quidem scribere possint, valdè conqueritur *Reink. de R. S. & E. lib. 1. class. 4. c. 13. n. 21.* Cœterum neq; ipsos Principes detrectasse summos adipisci Eruditionis honores & titulos, historiæ docent. Et in Academiis quoq; vehementer peccari in collatione ejusmodi titulorum, & sequiorem hanc ætatem in eo hodiè faciliorem esse, quàm Majores nostros, graviter conqueritur Gravissimus & accuratissimus JCtus Dn. Georg. Franzkius in Aulâ Gothanâ Cancellarius Magnificus *præfat. ad lectur. Comment. in ff. præmiss. & Forst. in præfat. de jur. interpr.* crudeliter peccare ait accipientem gradum doctoratus indignè. Sic de quodam in Italiâ solâ mediante peccuniâ promotò Doctore *Speidel. in Notabil. refert:* Eum cum post adeptum honorem in patriam proficisceretur, in itinere a quodam interrogatum, quâ in facultate Medicâ ne, an juridicâ Doctor promotus esset? Se nescire respon-



respondisse. Er wisse in der Wahrheit solches nicht eingentlich/ weil man so sehr mit ihm geeylet.

XXXIII.

Jus conandi delicta.

Jus condonandi delicta & poenas capitales remittendi, quod jus veniam poenæ dandi vel aggratiandi dicitur. Princeps enim solus Legum & judiciorum rigore condemnatos liberare potest, *l. 1. §. ult. in fin. l. 4. in fin. l. 9. §. 11. l. 27. l. 31. ff. de poenis. Petr. Heig. p. 2. q. 22. n. 6. Petr. Theod. Colleg. Crim. disp. 10. §. 7. lit. b.* Nec ulli ex minoribus Magistratibus competit: Unde Carolus V. cum Senatui Mediolanensi omnia ferè jura imperii concederet, hæc duo tamen sibi reservavit. (1.) Ne possint delictorum veniam tribuere (2.) Ne literas salvi conductus criminum reis darent *Clapm. de arc. rerump. lib. 1. c. 17.* Atq; hoc nec Regis Galliaæ Matri concedi posse sine Majestatis detrimento, Curiam Parisiensem judicasse tradit *Christoph. Besold. lib. 1. Polit. c. 4 §. 4. ex Bodin. de Repub. l. 1. c. 8. §. 10.* Cæterum circa poenarum remissionem distingui solet, inter delicta quib9 poena capitalis à jure divino cõstituta est, & ea quæ à jure civili seu positivo ultimo supplicio vindicantur, in illis nullum concedunt dispensandi jus, in his locum ei faciunt, *Petr. Theodor. d. l. Dn. Carpz. in prax. Crim p. 3. q. 150. n. 26. Dn. Limn. de jur. public. c. 8. lib 4. n. 282. Clut. Syll. R. 2. §. 8. lit. g. Fibig. in Colleg. Franzk. Disp. ult. Semidec. q. ult.* Sæpe tamen ita comparatum in Republicâ vel Regno est, ut quamvis maximè nocentes, tamen dimittere, innocentissimos verò subijcere ferro & supplicio, necesse sit: Sæpè in eodem carcere custodiendi, puniendi & sepeliendi *Dn. Forst. ad Tacit. lib. 2. Annal. ad Verbum Cæterum Tiberio haud ingratum accidit &c. pag. 135. Edit. Argent.* In quo peccasse Albanus creditur, quod Egmontium & Hornanum maxima & populo Charissima pectora, in foro & loco publico in omnium conspectu securi percuti curaverit, fuerunt, qui affir-



affirmarent eâ cæde stabilitas tunc primùm esse foederato-  
rum partes, referente *Fam. Strada de Bello, Bellico, dec. 1. lib. 7.*  
*pag. 395. Edit. Antwerp.* Illud credimus non necesse habere  
Principem semper sequi vel expectare processus ordinem,  
sed & in capitali causâ non rarò conducere, ut sine strepitu  
res peragatur, qui dubitat, Eum remittimus *ad Tbuam. hist.*  
*lib. 93. p. 555. & aliquot seqq. Edit. Francof. in 80.* Necem Gui-  
siorum ab Heinricho III. adornatam describentem, & simul  
elegantissimos Regis *pag. 559.* & Trigæ consiliariorum fidis-  
simorum Aumontii, Rambolieti & Bellovasii discursus *pag.*  
*563.* tradentem, jungatur huic exemplo Concini Ancræi  
Marchionis Sejani Gallici, & Ducis Fridlandiæ. Habet ali-  
quid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra  
singulos utilitate publicâ rependitur *Tacit. 14. Annalium.*  
Interim thesin hanc absolvimus consilio, quod Mecœnas  
Augusto *apud Dion. lib. 53.* dat. In summa consilium tibi do,  
ne quando abutaris potentiâ tuâ, neq; eam putes esse demi-  
nutionem ejus, si non omnia simul facias, quæ possis, sed  
quantò magis omnia, quæ statueris, potes perficere, tantò  
magis cura, ut optima quæq; tibi proponas.

#### XXXIV.

#### Jus legitimandi spurios.

Præter eâ etiam ad classem majorum jurium Majestatis  
refertur jus legitimandi eos, qui illegitimo thoro nati sunt,  
quæ legitimatio fit per rescriptum *Novell. 74. & 89. c. 9.* quæ ad  
hanc legitimationem regulariter requirunt (1) ut pater eo-  
rum matrem in uxorem ducere non possit, (2) ut non exi-  
stant legitimi liberi. (3) ut etiam liberi naturales suam legi-  
timationem ratam habeant & consentiant *d. Nov. 89. c. 11.*  
*Boc. de reg. c. 2. n. 69.* Non tamen necesse est, ut huic legiti-  
mationi consensus agnatorum & cognatorum accedat, *Boc.*  
*c. 2. n. 87.* Utitur enim pater jure suo, & remotioribus nō ali-

E

ter



ter jus quæsitum dici potest, quam eo casu, quo liberi vel proximiores non extent & successio ad eos delata. Dictum regulariter, quoniam secundum *Gail. l. 2. Obs. 142. n. 7. & seqq. & Boc. d. l. legitimantur liberi*, licet pater matrem illorum conjugem habere possit, & liberi legitimè nati adsint. Hodiè etiam Comites Palatini, quibus hoc jus ab Imperatore concessum, spurios legitimare possunt. *Boc. d. c. 2. n. III.*

### XXXV.

#### Jus restituendi famæ.

Sequitur jus restituendi famæ & honoribus, quod soli Principi competit *l. 1. Cod. de sentent. pass. Boc. d. l. n. 113. Bornit. de Majest. Polit. c. 20. Schönborn. lib. 5. Polit. c. 18. Niell. Disp. feud. ult. ð. 2. lit. d. Godof. Antb. disp. feud. 3. ð. 6. lit. f. Rosentb. in Synops. feud. c. 5. concl. 2. n. 4. lit. c.* Pleriq; Famæ restitutionem in imperio soli Imperatori tribuunt, per *X. A. zu Augspurg* de Anno 1525. In quo Ferdinandus seditiosos rusticos honori & famæ restituit. Sed *Arnisaus lib. 2. Relect. polit. c. 6. sect. 5. n. 84.* hoc exemplo contra Imperatorè argumentatur, id eo ipso soli non competere, cum id non tantum ex consensu & præscripto statuum fecerit, sed & paucioribus statuum præsentibus, quasi non satis roboris & munimenti haberet, idem decretum sequenti anno 1526. in Comitiiis Spiræ & *Zum Andern* / frequentioribus statibus propositum, & arctius & firmitus factum, quâ repetitione non videbatur opus, si penes solum Imperatorem stetit. Nos existimamus utramq; opinionem adhibitâ distinctione subsistere posse, quod in conflictu ipso tentabimus. Possunt etiam inferiores Principes famæ restituere, illam tamè restitutionem extra territorium non extendi, cum extra territorium & supra jurisdictionem jus dicenti impunè non pareatur *l. ult. ff. de jurisdic. refert Joach. Scheplitz. ad constit. March.*



*March. part. 4. tit. 15. q. 1.* Joachimum II. Electorem Brandeburgicum quendam legitimasse, qui postea in societatem seu Collegium der Gewandschneider fuerit receptus.

XXXVI.

Jus remittendi juramentum ad effectum agendi.

Huc etiam spectat jus remittendi juramentum ad effectum agendi, quod solius Principis est: patet hoc ex *l. ult. in princ. ff. admunicip.* ubi Antonius & verus rescripserunt, se gratiam juris jurandi ei facere, qui juraverat se ordini non interfuturum & postea Duumvir creatus esset, & ex *l. penult. Cod. de transact. Boc. d. c. 2. n. 135. & ibi allegati.* Hodie etiam juramenti remissio, quoad effectum agendi, tam ab imperatore, quam imperiali Camera fieri potest *Gail. lib. 1. observ. 25. Mynsing. cent. 3. observ. 99.* Fundat enim constitutio super relaxatione juramenti ad effectum agendi jurisdictionem Camerae *Ord. Cam. part. 2. tit. 24. Gail. l. 1. obs. 22. 23. 24. & 25.* Non tamen Actorum precibus statim fides habetur, sed Principibus seu Reis transmittuntur literae, quo & illi suas defensiones indicare possint, *Bericht schreiben* vocant: Haec tamen Rei rationes & causae in scriptis Camerae missae Actori prius communicantur, ad defendendum se contra illas & easdem refutandum, & tunc vel denegantur, vel decernuntur processus *Frider. Hiltropf. in process. p. 1. tit. 1. n. 41.* Haeredes tamen absolute opus non habent, sed statim agunt *l. generaliter Cod. de rebus Credit. & jure juran: Gail 1. obs. 27.* Et ita judicatum in causa *Schulen contra hutten Frider: Hiltropf. d. l.* Imo etiam status imperii & Principes seculares hoc jus habent *Carpz. de L. Reg. Germ. c. 9. §. 12. n. 7. add. Cran. de Pac. Relig. probl. 7. part. 1. pag. 80.*

XXXVII.

Jus veniam aetatis dandi,



Jus veniam ætatis die *Jahrgebung* adolescentibus tri-  
buendi, quod soli Principi competit *l. 1. l. 2. §. ult. l. 3. C. de  
his qui ven. at at. impetr. Schönb. Polit. 5. c. 18. Boc. c. 2. n. 131.  
Sixtin. de reg. lib. 1. c. 2. n. 22.* si enim adolescentes, quæ  
honestate morum præditi paternam frugem vel avorum pa-  
trimonia gubernare cupiunt, iis tamen administratio rei suæ  
ante legitimum tempus, quamvis rem suam bene gerenti-  
bus committi non debet *l. 1. §. fin. ff. de minoribus.* sed veni-  
am ætatis ab imperiali auxilio impetrare necesse habent *l. 2.  
Cod. de his qui ven. at at. impetrar.* Requisita hujus impetra-  
tionis *Boc. d. loc.* quinque recenset, præcipuum tamen illud esse  
videtur, ut masculini sexagesimi anni metas impleverit & foemi-  
na decimum octavum annum egressa fuerit. *l. 2. Cod. eodem.*  
Exemplum talis impetrationis refert *Reink. de R. S. & E. lib.  
2. class. 3. c. 12. n. 57.* de Carolo Lotharingæ Duce & postula-  
to Episcopo Metensi. Ita Philippus Julius Pomeraniæ Dux  
hujus beneficii vi investituram & administrationem Duca-  
tus Wolgastensis ab Imperatore obtinuit *Matth. Stepb. de  
Jurisdic. lib. 2. p. 1. c. 1. membr. 2. n. 137. addatur Goldacus de  
Regno Bohem. lib. 4. c. 1. n. 6.* Quare verò Christianus IV. Daniæ  
& Norvvegiæ Rex, tanquam Rex, anno ætatis 17. ab Impera-  
tore Rudolpho II. d. 26. Aprilis Anno 1593. veniam ætatis pe-  
tierit *Anton. Hering. de Fidejuss. c. 7. n. 110.* quæ quoque impetra-  
vit, nos non penetramus; Sanè in decore, gloriâ & magnitudinẽ  
imperio & Imperatori Romano cedunt ejusmodi actus. Id  
notum est Electoribus & Principibus Imperii in suis territoriis  
hoc jus competere; sed non Camera Imperali *Mich. de Ju-  
risdic. 0. 32. in fin. Boc. de Reg. c. 2. n. 133.* Effectus ejus est, ut,  
qui quævis veniam ætatis legitimè impetraverit, rerum sua-  
rum administrationem suscipere possit *l. 10. Cod. de appellat.*  
& pro majore in omnibus habeatur; Exceptam tamen aliena-  
tione rerum immobilium & datione hypothecæ, sine decre-  
to



to l. ult. Cod. si major fact. alienat. l. penult. Cod. de his qui ve-  
niam et at. impetr. Mauric. de restit. in integr. c. 225. n. 4. Christi-  
na. vol. 2. dec. 132. n. 11. ubi ita sæpè in supremo Senatu Mechl.  
judicatum refert. Nisi expressè Princeps in concessione ve-  
niæ ætatis tali alienationi nominatim mentionem fecerit,  
inq; eam consenserit arg. l. 1. Cod. quando Decret. non opus est.

### XXXVIII.

#### Jus concedendi saluum conductum.

Jus concedendi saluum per imperium conductum  
Boc. de Reg. c. 2. n. 235. Sixtinus de Reg. lib. 1. c. 2. n. 18. Besold.  
de Majest. sect. 3. c. 6. n. 7. Nemo enim potest commeatum  
remeatumvè dare exuli, nisi Imperator l. 4. in fin. ff. de pœnis  
& l. 31. §. 1. ff. eodem absolutum nimirum & plenum. Salvus  
conductus verò non tantum conceditur notoriè nocenti-  
bus, sed etiam multò magis iis, qui innocentiam præten-  
dunt & allegant, ad id, ut eam demonstrare possint: Quod  
si facere nequeant, sed in judicio convicti pro nocentibus  
habeantur, possunt non tantum in carcerem detrudi, sed e-  
tiam legitimâ pœnâ affici Treutl. vol. 1. Disp. 5. thes. 6. sub lit. d.  
Etiam si saluus conductus concessus sit zu Recht vnd vor un-  
rechtter Gewalt Herm. Gab. part. 1. peric. 5. q. 34. Non enim  
propterea conceditur & ab ipsis petitur, ut convicti, à pœnâ  
liberentur, sed ob metum, ne ipsis injuria inferatur. Con-  
cessus autem Salvus conductus non tantum veniendi, sed &  
recedendi securitatem regulariter includit l. 4. ff. de pœnis  
l. 3. Cod. de Navic. Carpz. præct. crim. p. 3. quest. 112. num. 7.  
Schonborn. lib. 5. Polit. c. 25. Ab hoc verò differt jus conducen-  
di, quod simpliciter das Gelant appellatur. de quo Thom.  
Maul,

### XXXIX.

#### Potestas jus Civitatis concedendi.

E 3

Pote-



Potestas concedendi jus Civitatis *Boc. de Reg. c. 2. n. 237. Besold. de Majest. sect. 3. c. 8. n. II. Clap. de arc. rerum publ. lib. I. c. 21.* quam potestatem Icti dicunt vitam & spiritum civitati dare, nulli; alii propriè competit, quã soli Principi *arg. l. unic. Cod. de metrop.* Concedit autem hoc jus Civitatis das *Stadt Recht* Princeps vel expressã vel tacitã voluntate: Si de neutrà Principis voluntate constet, tum neq; inter numerum civitatum erit referenda talis civitas, nec etiam juribus, quibus aliã legitimè constitutæ civitates gaudent, uti poterit. Atq; hoc jus in imperio soli Imperatori tribuitur: Hinc cum Albertus Comes Mansfeldensis vico cuidam propè Islebiã Jus civitatis tribuere vellet, Maximilianus Imperator id mandato inhibitorio fieri vetuit *Boc. d. loc.* Referri huc etiam potest jus muniendi civitatem *l. 9. §. 4. ff. de rerum divis.* ubi expressè habetur, quod muros nec reficere, nec iis aliquid conjungere vel superponere sine Principis autoritate liceat: Quod si nemo Principe inconsulto, eos reficere, multò minus Civitatem, quæ hoc jus à Principe non habet acquisitum, muris cingere poterit: Cui enim id, quod minus est, non permittitur, quomodo id ei permittendum erit, quod majus est, nisi minus expressè sit prohibitum, majus verò concessum. Jam verò nusquam invenitur Principem jus muniendi civitatem concessisse (& quidem privativè) jus verò muros reficiendi, quod minus est, sibi reservasse. Unde Marsus Syriæ Præses cum Agrippa non requisitã voluntate Imperatoris murum ingentis magnitudinis circa Hierosolymam duceret, nomine Claudii Cæsaris huic novum opus denunciavit, quo facto, statim ab opere destitit Agrippa *Josepb. lib. 19. Antig. judaic. c. 7.* Idem competit statibus Imperii absq; Imperatoris consensu, ita tamè ne vicinorum privilegia violentur *Gail. lib. 2. Obs. 69. n. 18. Jacob Wernber, Kyllinger de Ganerb. Castr. disc. 4. n. 153. p. 67.* quæ causa assignatur



signatur, quare munitio Mulheimensis improbata & prohibita fuerit, de quo vid. *Dn. Limn. de jur. publ. lib. 7. c. 10. n. 19. & 20. & quem allegat. Melch. Goldast. tom. 1. Const. Imp. p. 584. addat. Petr. Frid. Mind. lib. 2. de process. & Mandat. c. 32.*

XL.

Potestas jus Nundinarum dandi.

Jus Nundinarum celebrium & Mercatum *l. i. ff. de nundin. l. unic. C. eodem. Clapm. de arc. rerum publ. lib. 1. c. 21. Schönborn. lib. 5. Polit. cap. 17.* Quales sunt Francofurtenses, Lipsenses, Naunburgenses, Argentoratenses & alia & c. Quarum institutio hodie est de Reservatis imperatoris *Reink. lib. 1. class. 5. c. 6. n. 156.* Non tamen solet concedere Imperator, nisi prius adjacentibus & vicinis Principibus & statibus, quorum interesse possit, auditis, *Schönb. dict. loc. c. 17. Boc. d. c. 2. n. 239. Gail. 2. Obs. 69. n. 24. & 25. In Land N. lib. 1. art. 26. & gloss. ad art. 66. lib. 3. n. 2. hac habentur verba, Auch mag man keinen Markt hegen/ ohne des Richters Laub. Ja daß solches des Reichs Wille sey/ soll der Käyser seine rechte Hand zeuchen [chirothecas] dessen zu Urkundt auff die Stadt darsendē. Gryph. de Weichbildt Sax. c. 74. n. 8.* Ita scimus Servestæ in Curiâ oppidanâ servari Chirothecam à Carolo V. Imperatore superiori seculo Senatui & civitati datam, procul dubio ob confirmatas, datas & auctas Nundinas. Asservatur quoq; adhuc hodiè in eadem curiâ ab Eodem Imperatore datus gladius, *Reysers Caroli des Vten Schwerdt.* Quare verò Nundinæ Missæ vocentur, adscribemus Gryphian-dri conjecturam, quam *d. l. n. 29,* habet. Quomodo autē Missæ appellatio ad Mercatum transierit, has olim conjecturas habuimus. Cum Nundinæ incerto aliquo festo haberentur, puta S. Viti, in eoq; Missæ celebrarentur, factum est, ut ipsæ nundinæ non minus ac ipsæ feriæ Missæ dicerentur. Atq; ita quoq; de Missa Dominicâ Magdeburgensi, vulgò  
Heer.



*Seermesse* sentire videtur *Dresser, de Urb. German. p. 415.*  
 Nundinas provinciales institui à territorii Domino posse  
 vulgò traditur *arg. l. 1. ff. de nund. l. unic. Cod. eodem. Knich. de*  
*Sax. privileg. Verb. Ducum c. 5. n. 484. Du. Limn. lib. 4. c. 8. n.*  
*311.* Id tamen *Besold. in Thesaur. pract. Verb. Mess Jahr Markt /*  
 non concedit procedere sine confirmatione Imperatoris,  
 cum effectu scilicet immunitatū & privilegiorum &c. Cœ-  
 terum Nundinæ vulgares seu hebdomadariæ à quovis Magi-  
 stratu sine permissu Principis institui possunt, cum iis civi-  
 tates commodè carere nequeant *Boc. d. loc. Bl. ad l. unic. Cod.*  
*de Nund. Sicbard. ad rubric. ibidem n. 2. Thesaur. dec. 264. n. 4*  
*Clut. Syllog. R. 2. d. 22. lit. c. infim.* Qui verò concedere, i-  
 dem etiam revocare jus nundinarum potest, *Natta Consil.*  
*511. & 512. Ant. Thesaur. Dec. 264. n. 3. addi poterit Gail. 2. O. 69.*  
*n. 24.* Hoc ipsum illustrabunt sequentia, quæ ex *Gryph. d. l.*  
*n. 28.* desumimus: Mercatus Francofurtensis, quando, à  
 quo & quo tempore institutus in incerto est. *Goldast. ad*  
*tom. 3. in princ.* notat. Conventum annuum olim à Constan-  
 tino M. in Urbe Arelatensi institutum, à Carolo M. Mogun-  
 tiam translatum, inde à Friderico II. Francofurtum, & Mis-  
 sam S. Bartholomæi vocatum esse. Easdem tamen nundi-  
 nas Autumnales à Carolo IV. Moguntiam revocatas, iisdem  
 à Gunthero Cæsare Fridbergenses Vernales substitutas, sed u-  
 trasq; à Carolo IV. Francofurtiæ restitutas & confirmatas.  
 Unde *Stumpfius* ad Annum 1350. Carolus IV. Francofurtum ad  
 Mœnum mercatu annuo gemino dotavit.

### XLI.

#### Potestas concedendi jus stapulæ.

Jus stapularum Emporii die *freie Niederlage oder Staf-  
 fel Gerechtigkeit* / id est, jus de exponendis mercibus conce-  
 dendi. Qui id legitimo modo sibi quæsivit, jus habet cogen-  
 di & compellendi, ut subsistant ibi, exonerent vel divendant  
die



die Staffelbahren guter Myns. *consil. 19. n. 3. Sixtin. de Reg. c. 50. n. 29. Nicol. Eberb. jun. lib. 1. Consil. 9. Alb. Leon. Consil. 67.* ad alias enim merces trahendum non est, videatur *Gylm. Symph. tom. 1. part. 2. tit. 18.* ubi refert, ex quo fundamento Spirenses Mandatum impetraverint, contra *Churpfalk die Speyrische Schiff und Meß guter zu Oppenheim* angehalten betreffend. Plurium civitatum Scriptores mentionem non faciunt, quibus jus stapulæ competat in imperio, quam ad Rhenum Colonia Agrippinæ, Monuntia & Spiræ die drey Staffeln an Rhein/ad Mosellam Treviris: Ad Danubium Ratisbonæ, Ingolstadii, & Passavii seu Patavia: Ad Visurgim Bremæ: Ad Albim Magdeburgi & Hamburgi. Addatur *Dn. Lim. lib. 2. c. 2. p. 131. Thom. Maul. de jur. conducendi p. 57. & seqq.* ubi tradit, quomodo hoc jus præscribatur. Et non est hoc jus aliquo temporis spacio sicut nundinæ coarctatum.

## XLII.

### Jus Concedendi debitoribus inducias moratorias.

Jus concedendi debitoribus inducias moratorias vulgò *Quinquenel oder Anstands-Brieff*/quod penes summum est Principem *l. 2. & 4. Cod. de prec. Imperat. offerend.* Requiritur autem, ut accedat fidejussio idonea super debiti solutione *d. l. 4.* quam remitti posse negant, *vid. Wilhelm. Ant. de Freundenberg de rescript. morator. Conclus. 48. n. 7. & seqq.* Ubi tamen *n. 105.* limitationem habet. Et hodie adhuc eam cautionem requiri, & receptam esse testatur *Dn. Limn. de jure publ. lib. 4. c. 8. n. 340.* atq; secundum eandem decretos processus Civibus Francofurt: contra Erfurt anno 1520, refert *Roding. pandect. Camer. lib. 4. §. 19. p. 187. Paul. Matth. Wehn. obs. pr. verb: Anstandt-Brieffe.* Concedi autem solent non nisi qui citra culpam suam fortunarum jacturam fecere, non bancoruptoribus, & suo vitio ad inopiam redactis,

F

de



de quibus loqui videtur *Rollenbag. im Froschmeufeler lib. 1. c. 14.*

Da bringt der Teuffel aus der Hell

Ein Schutz-Brieff mit der Quinquenell/

Da wird der Fleischman Staal und Eysen.

& durante isto temporis spacio, ne quicquam ipsis à debitoribus postulare liceat *Schönborn. Polit. lib. 5. c. 16. ne usuras quidem Hillig. D. E. lib. 22. c. 9. lit. n. Bach. ad Tr. vol. 2. Disp. 24. th. 4. lit. f. p. 558.* Hodiè Principes quoq; præter Imperatorem in suis territoriis inducias moratorias debitoribus concedere possunt, uti Anno 1643. d. 18. Julii à Serenissimo & Potentissimo Electore Brandenburgensi FRIDERICO WILHELMO (CUI VITA SALUS ET VICTORIA) Domino nostro Clementissimo & Academiae hujus Conservatore semper liberalissimo, munificentissimoq; factum. In quo verò hæ Electorum & Principum induciæ moratoriæ differant ab Imperatoris. *vid. Wilhelm. Ant. d. tract. conclus. 70. n. 23. & concl. 12. n. 18. Hillig. D. E. d. l. lit. g.*

### XLIII.

#### Jus recipiendi Judæos

Jus recipiendi & tolerandi judæos, quod non nisi summo Principi competit, hodiè Imperatori nostro Romano *Schönb. Polit. lib. 5. c. 26.* Ex Caroli IV. verò constitutione illud jus tanquam singulare Electoribus concessum est, *A. B. c. 9.* tractu deinde temporis omnibus Imperii statibus, Regalia immediatè ab Imperatore recognoscentibus, imo etiam quibusdā mediatis, speciali privilegio hoc jus indultum. *Sixtin. de Reg. lib. 1. c. 5. n. 19.* Non tamen ita simpliciter recipiendi, sed adhibitis certis conditionibus, *Sixtin. d. l. n. 24. Conrad. von Winstedel/ de Reg. c. 2. n. 283. Schönb. d. l.* ut ab enormibus abstineant usuris, magistratui, sub quo degunt



gunt, sint subjecti, tranquillè secundum leges vivant, Christianas mulieres in matrimonium ne ducant, l. 6. Cod. de iudeis. ab omnibus officiis & dignitatibus inter Christianos publicis alieni sint l. 19. Cod. de Jud. & cœlic. à blasphemis in Christum abstineant, & quæ sunt, aliæ, quæ ipsis præscribi solent. Ita Illustrissimus atq; Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus AUGUSTUS Princeps Anhaltinus antiquissimæ Familiæ & totius S. R. I. Senior, Dominus noster Clementissimus, Cui maximas felicitates cum vitâ longiori precamur, Anno 1629. iudæum Abraham Heli, qui anno præcedente 1628. à Ferdinando II. securitatem & saluum conductum acceperat, recepit, & privilegium indulgit, cuius inter alia hæc verba erant. PP. thun solches auch hiermit und in Krafft dieses/ vnd nehmen gedachten Abraham Heli / zusambt seinen Weib und Kindern/ Gesinde/ Haab vnd Güttern / auff drey Jahr lang in Unsern Schutz/ dieser gestaldt und also: Daß Er bey deme ihme zugelassenen Handel und Wandel / sich des Römischen Reichs deutscher Nation uffgerichteter Policeny-Ordnung von Juden: Bucher/ allerdings gemäß verhalte. Wir können auch geschehen lassen/ daß Abraham Heli/ nebenst seinen Judengenossen und angehörigen / sein Gebet und Gottesdienst nach ihrer Art / in aller stille und geheimb in seinem Hause verrichte/ darbey aber keine Synagoge halte/ so viel Fleisch er zu seinem Hauß vnd Unterhaltung bedarff selbst schlachte/ was Er seiner Jüdischen Gewonheit nach nicht isset / anderen verkauffe/ solches alles aber bey dieser außdrücklichen Vorwarnung/ daß Er oder die seinigen bey Vormeydung höchster Ungnad und ernstler Straffe den Nahmen unsers Erlösers Jesu Christi und unsern Christlichen Glauben und Wandel ( In massen Er sich vor sich und seine Haußgenossen gegen uns pflichtbahr gemachet ) auff keinerley Weise mit Worten oder Gebährden/ lästere oder schmähe/ noch jemand in seiner Christlichen Religion irre / ärgere oder verrathe / sondern nach den Rechten/



Rechten / Sak-Ordnungen und Abschieden des heiligen Römischen Reichs und Unseres Landes / so weit Ihre Religion solches zulasset im Leben und Wandel verhalte. Desselben gleichen verbieten wir Ihme hiermit bey Vermeidung unserer schweren Unquad und Straffe / daß Er unseren Untertanen weder Geld noch Geldes werth borgen / noch von Ihnen auff borg ohne gnugsames pfand ichtwas auffnehme / noch anderer Gestalt mit ihnen / als auf baare gegenwertige Zahlung *contra-bire* und handele: Es were den Sach / daß Ihme von jemandes unserer Ritter-oder Bürgerschaft Ehrliche uffrichte *Contracte* und Umschläge zu gemuthet würden / welche wir Ihme uff masse / wie die gemeine Rechte / Reichs Abschiede / vnd unsere Lands-Ordnung / sonderlich aber der gemeinen Judenschafft von der Römischen Kaiserlichen Majestät vnd denen Ständen des Reichs ertheiletes privilegium vermag / gnädiglich verstatet vnd zu gegeben / Jedoch davon den gemeinen Bawersman (als mit welchen alle *Contracte* vnd Handlungen ausser dem offenen freyen Markt Rauff umb baare Bezahlung ihme verboten seyn sollen) ausbescheiden / inmassen Er darüber seinen *revers* von sich gegeben / und auch sonst Huldigung unpflicht eydlich gethan hat / etc. Semel autem recepti, si conditionibus parent, non sunt inquietandi. l. 13. § 14. Cod. b. tit. in tantum, ut si quis eos elapso nondum tempore eiicere velit, mandata contra eum petere possint, quæ & in Camerâ decernuntur, quemadmodum d. 28. Septembr. Anno 1551. in Causâ Joachim Fexbers Juden / zu Northausen *contra* Bürgermeister vnd Rath daselbsten / qui Eum exire iusserat: Item in causâ Simon vnd Schumal die Juden / *contra* Herren Hanssen von Rechberg / etc. den 16. Martii ejusdem Anni factum esse testantur *Rut. Rul. de Commiss. part. 3. lib. 7. c. 3. n. 5. Rumel. ad A. B. part. 1. diff. 8. concl. 17. M. Mager de Adv. armat. c. 8. n. 295.* Cœterum concludimus thesin hanc Maximi Cunæi verbis,



verbis, quæ habet *de Repub. Hebra. lib. 1. c. 18. p. 152.* Admodum  
notabile, inquit, est illud, quod Romanis prodidit D. Paulus  
in eâ Epistolâ, quæ scripta ad illos est *ibi c. 11. vers. 25.* Sic in-  
fit: *Nolo Vos ignorare hoc mysterium ob durationem, quæ est ex  
parte, evenisse Israeli tantisper, dum plenitudo gentium introie-  
rit, profectò aderit tempus, cum judæi in rectam semitam redu-  
centur, qui nunc errant miserè ignorantia viæ; Nondum omnium  
dierum soles occiderunt, fulgebit illis quoque iterum sua lux, cecidif-  
se eos, non excidisse certum est, & pag. 154.* Res hæc de quâ loqui-  
mur magna est, & planè ejusmodi, uti meritò non possimus impo-  
sterum judæos, velut victimas publici odii penitus averfari, cum  
adhuc illis tantarum rerum supersit spes. Quæstionem tamen  
de Universali judæorum conversione, ut pote ad hanc Ca-  
thedram non spectantem, nostram non facimus.

#### XLIV.

#### Jus indicendi Bellum.

Jus indicendi & inferendi bellum & delectum habendi,  
soli enim Principis id est, *l. 3. ff. ad L. juliam Majest. l. unic.  
Cod. ut arm. usus in sc. Princ. interd. l. 17. Cod. de re milit.  
Bornit. de Majest. Polit. c. 25. Clapm. de arc. rerum publ.  
l. 1. c. 20. Reink. de R. S. & E. lib. 2. class. 3. c. 1. n. 8. Arum. vo-  
lum. 1. disc. 30. c. 3. tbes. 30.* Illi enim necessariò ad arma  
confugiunt, qui judicem non habent, nullumque superio-  
rem recognoscunt, inter quos disceptationes fori locum  
non habent: Inferiores verò Principes cum jus suum apud  
superiorem consequi possint, à bellis inconsulto & dissen-  
tiente Principe summo abstinere debent. Olim quidem an-  
te latam Legem Regiâ P. R. potestatem hanc indicendi belli  
habebat *l. 24. ff. de captiv. & post limin. ubi pro latronibus atque  
prædonibus habebantur, qui bellum, autoritate publicâ  
P. R. non indictum movebant, capti servi non efficiebantur,  
adeoque nec postliminium obtinebat d. l. 24. l. 118. ff. de V. S.*  
Postquam autem omnis potestas in Principem collata *l. 1. ff.  
de const.*



*de constit. Princ.* ei soli coepit competere *d. l. unic. Cod. ut arm.*  
*usus & d. l. 17. Cod. de re milit.* in tantum, ut crimine Majesta-  
tis teneatur, qui injussu Principis bellum gesserit, delectum  
habuerit vel exercitum comparaverit *l. 3. ff. ad L. Jul. Ma-*  
*jest. Giguas de Crim. Majest. q. 31. n. 5. Gail. 1. de P. P. c. 4. n. 4.*  
Et hoc quidem ita regulariter; Nam si vel periculum sit subi-  
tum, vel Principis non possit haberi copia, & res ita sit com-  
parata, ut moram non admittat, impunè quilibet & liberè  
arma capiet, & vim vi repellet. Quomodo Principibus Ger-  
maniae in propriam & aliorum quoq; salutem militum de-  
scriptio denegata penitus non legitur, observata tamen in  
Recessibus Imperii praescripta forma, de anno 1555, 1570, 1576  
1582, 1594. praepriis si Imperatoris copia haberi nequeat,  
vel ob absentiam, vel nimiam loci distantiam *Gail. d. l. n. 2.*  
uti Recessus de anno 1530. & 1548. accipiuntur à *Warem. ab*  
*Ehrenb. in Mediam. pro foeder. lib. 1. c. 2. n. 56. pag. m. 165.*  
Ex quibus & imprimis ex *R. A. de anno 1555. §. vnd sollen ibi,*  
*die Kaysersliche Majestat oder in deren abwesen auß dem Reich*  
*uns Jhres Vorhabens / vnd was sie darzu verursachet in*  
*Schriften unverzugleich und in Unterthänigkeit der Sachen*  
*wissens zu haben verständigen vnd vorgewisigen / vnd nichts*  
*destoweniger mit der fürgenommenen Gegenwehr dieser Ord-*  
*nung gemess fürschreiten / &c.* firmiter colligitur, posse Princi-  
pes nostros etiam inscio Imperatore legitimè bella suscipe-  
re, quòd si enim Imperatori vel Regi Romanorum necesse  
habent significare, wann sie allbereit zu Felde und in Anzuge  
seyen / insciis iis omninò susceptum. Coeterum in imperio  
Romano Imperator cum Consensu Electorum indici curat  
decretum bellum, nequit enim hoc solus facere, uti nec fo-  
dera ferire, inconsultis & dissentientibus proceribus *N. A. zu*  
*Wormbs de anno 1495. tit. die Königliche Majestet sol/habe-*  
*tur idem in Cap. Caroli V. art. 7. Ferd. II. art. 6. Ferd. III. art. 2.*  
Unde olim in gerendo bello constitutus fuit imperii Capi-  
tane-



taneus ein Reichs-Hauptmann N. A. zu Augsp. de Anno 1500.  
tit. des Reichs Hauptmann betreffend / qui ut & reliqui of-  
ficiales ac milites non imperatori modo, sed & imperio ju-  
ramento fuere adstricti d. N. A. tit. von Soldtner Eydt/  
tit. des Hauptmanns Eydt. Itaq; qui bellum decernere & in-  
dicere in Republicâ potest, idem & Pacem faciet: Quid in  
imperio obtineat, Famosi tractatus & eos demum Maximo  
DEI beneficio subsecuta Germaniæ Pax testatur, cui perpe-  
tuitatem precamur.

#### XLIV.

#### Jus pangendi fœdera.

Soli etiam Principi competit jus pangendi fœdera.  
*Bornit. de Majest. Polit. c. 25.* in Monarchia scilicet, cœterum  
quævis Respublica Majestatem habens idem potest. Hinc  
Carthaginensium Princeps: Vos, inquit, quod C. Lucretius  
Consul primo nobiscum fœdus fecit, quia neq; autoritate  
patrum; neq; Populi jussu ictum erat, negastis vos eo teneri  
*Liv. lib. 11.* qui idem, jure eodem negant Carthaginenses te-  
neri fœdere per Asdrubalem cum Romanis icto, quod absq;  
autoritate Senatus & Populi jussu ab Asdrubale privato  
arbitrio ictum extitisset. *Polyb. l. 3.* Inducias autem Duces  
exercitus vel Legati Principis, quæ causam ipsam concer-  
nant regulariter facere non possunt. Et prudenter omni-  
nò interdicta videntur pacta ducibus, ne fortè ad angustias  
reducti, turpe quid ineant aut infame: Breviores tamen in-  
ducias ut faciant vel concedant hosti, iis non denegatur, vel  
ut occisi sepeliantur stillstande machen die Todten zu begra-  
ben / vel ut obsessi consilium capiant, vel ad Principem  
mittant. *Vincent. Cabot lib. 2. Disp. 15.* Imperator de rebus  
imperii cum exteris fœdus inire non potest, nisi cum con-  
sensu Electorum. *Capit. Caroli V. §. Wir sollen vnd wol-  
len. 7. Carpz. de L. Regiâ Germ. c. 6. n. 12. § seq. § sect. 1.  
n. 5. Ferdinandi III, art. 7. § ibi Dn. Limn. p. 687, § seqq. Ex  
Instru-*



*Instrument. Pac. Osnabrugg. art. 8. §. gaudeant*, aliter decisum; Nihil horum aut quicquā simile posthac unquā fiat vel admittatur, nisi de Comitiali, liberoq; omnium imperii statuum suffragio & consensu. Principibus aliisque statibus imperii fœdera, quæ publicæ Pacis, securitatis & salutis causâ fiunt, ferire licet. *A. B. Caroli IV. tit. 15. X. A. zu Wormbs anno 1459. §. auch sollen wir Idem in Pacific. d. l.* Cum primis vero jus faciendi inter se & cum exteris fœdera, pro suâ cuiusq; conservatione & securitate singulis statibus, perpetuò liberum esto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & imperium Pacemq; ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem &c. Præcipua & celebriora fœdera sunt, Suevicum, dictū societatis Georgianæ clypeo, Smalcaldicum, Chamborticum seu Fridewaldicum, Hanseaticū, Unio seu Confœderatio Evangelicorum.

#### XLVI.

#### Jus Repressalias concedendi.

Jus repressalias concedendi *Bodin. de Rep. lib. 1. cap. 10. Besold. lib. 1. Polit. c. 4. n. 26. & de Majest. sect. 3. c. 6. n. 5. Quid repressaliæ sint vide Brautl. Jurispr. publ. l. 7. c. 11. thes. 12. In imperio locum non habent O. C. p. 2. tit. 26. Gylm. 3. Sympb. verb. Mandatum sine clausulâ p. 105. Heig. p. 1. q. 12. Ruland. de commiss. 1. lib. 7. c. 9. n. 4. Quoad Exteros status Imperii habent istud jus. Pruckm. vol. 1. consil. 17. n. 104. Petr. Heig. d. l. 58. n. Frid. Mind. 1. de process. & mand. c. 49. num. 8. absq; consensu quoq; & autoritate Cæsaris vel Cameræ Pruckm. d. l. Schrad. de FF. p. 9. pr. c. 4. n. 74. Tutius tamen si adhibeatur, quoniam ex iis & lites & pugna oriri potest & solet Gail. de pignorat. c. 2. n. 3. Unde & cautus Princeps sit ne iis vel facilè ipse utatur vel aliis concedat. Proximè accedit *αιδοροληψια* Græcorum, super qua legem Atheniensium refert *Demostb. in Orat. contra Aristocratem*; meminit quoq; istius rei *Hesychius*, & latius explicat *Suidas*.*

#### XLVII. Jus



## XLVII.

### Jus Armandiæ.

Jus Armandiæ, vel, ut alii volunt, jus Armanniæ, *c. un. qua sint regalia lib. 2. feud. tit. 56. Et ibi Gothofredus.* Intelligunt nonnulli per Armannias vectigal, quod ex armentis animalium solvitur: Alii vectigal, quod ex concessione arma faciendi præstatur: Alii etiam de litoribus interpretantur, quos recenset *Boc. de Reg. c. 2. n. 138.* Nobis significat jus habendi & concedendi armorum bellicorum fabricas & armamentaria publica, Zeug-Häuser anzunordnen.

## XLVIII.

### Jus mittendi Legatos.

Jus mittendi Legatos, quod non tantum Pacis, sed & maximè belli tempore maximum usum habet & necessarium est, & propriè & regulariter soli supremo Principi competere testantur *Besold. lib. 1. Polit. c. 4. n. 29. Arnis. de jur. Majest. lib. 2. c. 5. n. 16. Bornit. de Majest. Polit. c. 28. Arum. vol. 1. disc. 14. de jur. public. tbes. 8.* Hodiè jus mittendi & recipiendi Legatos penes Imperatorem residet, idem Electoribus, Archiducibus, Ducibus, Principibus, liberisq; Imperii Civitatibus & illis, qui Imperio immediate sunt subjecti & jura territorialia habent concessum. Poterunt itaq; Imperii status ad quosvis tam intra, quam extra imperium legatos mittere de rebus & negotiis non totius Imperii, solus enim Imperator hoc sibi reservavit, consensu & nomine statuum, sed tantum sui Principatus & districtus. Differentiam tamen Politici agnoscunt inter Legatos & ablegatos, si-ve selectos & deputatos, Legatos propriè appellant die *Gesandten*; Ablegatos & selectos die *Abgesandten*. Id quod à metatoribus Imperialibus in Comitibus observatum in designatione hospitiorum se vidisse testatur *Herm. Kirchn. in*

G

Legat.



*Legat. l. 1. c. 1. n. 19. p. 13.* Cum Legato Hispaniarum Regis inscriptus in foribus titulus esset, *Röniglicher Würden aus Spanien Gesandten*: Aliis verò imperii Principibus Fürstliche / Churfürstliche Abgesandte. Non itaq; propriè Legati, sed ablegati sunt dicendi, qui ab inferioribus mittuntur, de quo *Kirchn. d. l. c. 3* Legati jure Gentium sunt inviolabiles *l. 17. ff. de Legation. l. 8. ff. de rerum divis.* Privilegia eorum vide apud *Leibenthal Coll. Polit. exercit. II. thes. 40. Schönborn. Polit. lib. 3. c. 31. Kirchn. & Alb. Gentil: de Legatis.* Curare tamen debent Legati, ne privilegiis suis abutantur, sed strictissimè intra limites mandatorum suorum sese contineant.

#### XLIX.

#### Jus instituendi cursus publicos.

Jus instituendi & confirmandi cursus publicos, seu postas generales, quod solius Principis est, *Boc. de Reg. c. 2. n. 236. Schönborn: lib. 5. Polit. c. 17.* Hodie illud jus Romano nostro Imperatori competit, die *Reichsposten anzustellen* / & ex ejus concessione etiam Imperii statibus, hi tamen per totum imperium tales postas instituere non possunt, sed tantum per principatum suum, *Landt-Posten* / adeò ut anno 1579. cuidam Duci Germaniæ, qui publicos cursus seu generales postas per Belgium & Italiam disposuerat, severè fuerit interdictum *Boc. d. l. n. 236.* Usus harum Postarum & Pacis & belli tempore maximus. Ita Augustus quo celerius ac sub manū cognosci posset, quid in quaq; provinciâ gereretur juvenes primò modicis intervallis per militares vias, de hinc vehicula disposuit *Clapm. de arc: Rer: publ. lib. 1. c. 21. add. Dn. Limn. lib. 2. c. 9. n. 134. & seqq.*

#### L.

#### Jus extruendi & inhabitandi Palatia.

Jus extruendi, habendi & inhabitandi Palatia, nemini enim



ni enim competit, nisi soli Principi *c. qua sint reg. l. un. Cod. de palatiis. Boc. de Reg. c. 2. n. 162.* ab omni enim privatorum usu sunt excepta. Hodiè Imperatori, & ex ejus concessione tam expressâ, quam tacitâ (usi enim sunt hoc regali ultra hominum memoriam *Obrecht disp. de reg. tbes. 310.*) inferioribus Principibus, cum in suis principatibus idem posse vulgò dicantur, quod Imperator in Imperio,

LI.

### Jus vectigalia indicendi.

Jus vectigalia indicendi *l. 10. ff. de public: & vectig. l. 3. Cod. non. vectig. instit. non poss. tit. 56. lib. 2. feud. qua sint regalia. Clapm. de arcan. rerump. lib. 1. c. 21. Schönborn: Polit. lib. 4. c. 25. Bodin. de republ. lib. 1. cap. 20. n. 169. Liebenthal Colleg. Polit. exercit. 15. n. 36. Bornit. de Majest. Polit. cap. 23. Boc. de Reg. c. 2. n. 183. Sixtin. de Reg. lib. 2. c. 6. n. 4.* Adeò ut nemini liceat iis aliquid vel addere, vel ea diminuere, multò minus nova instituere, nisi velit Legis julix de vi publicâ *l. fin. ff. ad L. Juliam de vi publ. & L. Julix ambitus l. unic. ff. ad L. Juliam ambitus* pœnam subire. In imperio Imperator nova instituere non potest vectigalia, nisi consensu Electorum. *N. A. de anno 1576. §. Weiters sind wir auch. Capit. Carol. V. art. 18. Ferd. III. art. 20.* in quo noviter constitutum, ut non sufficiat consensus Electorum separatim & ut singuli consideratorum, sed de eâ re collegialiter debeat consultari, non verò ideo instituendum esse conventum collegialem, cum Res non publicam Imperii, sed pœtentis privatam concernat utilitatem, sed differendam eam, donec Imperii salus & publica utilitas conventum ejusmodi collegialem suadeat *d. art. & ibi Dn. Limn. p. 705.* Idem verum ut Imperator vetera vectigalia nec augere, nec ad plures annos absq; dicto Electorum consensu, extendere possit *dd. art.* Cœterum de materia vectigalium *vid. Dn. Casp. Klock. de Contribut. & Henric. Klock de vectigal: jure, quibus*



bus adde, quæ nuper nomine Senatus & Civitatis Imperialis Bremensis publicata sunt.

## LII.

### Jus indicendi Collectas.

Jus Collectas generales indicendi *l. placet. C. de excusat: muner: l. unic. C. de superindict. Rosenth. de Feudis c. 5. concl. 74. lit. a Sc. Myns. dec. II. Resp. 1. n. 97.* Est enim Symbolum ac nota quædam superioritatis vel eminentiæ Superioris *Kamm. Disp. 12. §. 78. Besold. de Majest. Sect. 3. c. 7. n. 1.* Cujus finis primævus est utilitas publica, non ut potentiores plebem vel plebs optimates medullitus exsugant *Dn. Klock de Contribut. c. 1. n. 62.* Iac tantum & lana gregis politici Collectæ sunt, non ipsa caro & viscera. Et poterit eo jure Princeps uti, quotiescunq; Reipbl. salus postulaverit, nec tenetur causam subditis assignare, & quandoq; non consultum est, ut eam plures sciant. Et cum exacta pecunia inter nervos rerum gerendarum numeretur, Eius tractandæ curam, non vulturiis togatis & viris piceas habentibus manus committat, nisi inter perpetuas exactiones & tributorum invidiam semper egenus esse velit *D. Forstn. ad Tac. lib. 2. Annal. p. 180.* Quis enim adeo nostrorum imperitus morum est, qui nesciat, ex illa messe uberrimos fructus non tam ad Principem, quàm Exactores, quæstores, Canonarios, opinatores pervenire? His commodum Principi Invidia cedit, *Idem in lib. Omiss. pag. 23.* Cosmus Medices Magno Hetruriæ Dux, Matthæum quendam tributorum exactorem, quod non ex fide sed fraudulenter officio præfuerit, suspendi jussit, cumq; alius Florentinorum Nobilis vacans munus sibi conferri peteret, Cosmus, se neq; posse, neq; debere petenti concedere; Et repulsæ causam sciscitanti hoc responsum dedit, maximus amor, quo te sequor, facit, quò minus precibus annuere possim: Ast ille, non



non sanè repulsam paterer, si tantus tuus ergà me amor ef-  
set. Cui Cosmus, immò tuo maximo bono repulsam fers;  
Ne ut Matthæus ille longa fias Litera, sciebat enim hominē  
& fraudibus compositum & priore illo nequiorem esse. Pru-  
dens factum, quod omnes imitentur in seligendis ministris.  
Coeterum non hic nunc cumulanda ea sunt, quæ passim de  
nimio rigore in exigendis Collectis omittendo, & quod nō  
nisi necessitatis tempore fieri debeat, Politici juxta ac Jcti  
tradunt, cogitent boni pastoris esse, tondere pecus, non de-  
glubere, ubiq; in Palatiis Principum inscribatur, & perpe-  
tuò memoriâ retineatur, Galbæ dictum, quo *ap. Tacit. lib. 1.  
bist.* in pulcherrimâ adoptionis formulâ, quâ sibi Pisonem fi-  
lium nominat, utitur, Cogita quid aut volueris sub alio  
Principe, aut nolueris, *add. Scip: Amirat: lib. 17. dissert. 4.* Hor-  
rendum omne aurum, quod miserorum lacrymis & sangui-  
ne destillatur, sed Eheu lacrymæ nostræ antequam ad Regis  
conclave defluant Vafrities & efferatus animus intercipit,  
non secus ac Holofernes aquarum ductus Urbis-Bethuliæ  
interrupisse legitur, *Aut. Deplorat. Gall.* In Imperio Roma-  
no regulariter Consensu statuum imponuntur, Unde fre-  
quens clausula in Recessibus imperii Darüber wir uns mit  
ihnen/ vnd sie wiederumb mit uns verglichen & dicitur Reichs-  
Stewer/ Reichs-Anlag/ Reichs-Hülff *Gail. 2. obs. 53. videatur  
Capit. Carol. V. art. 12. & Ferdin. III. art. 14 & ad Eos Dn. Lim.  
de Capitul.* sufficit enim interdum solus Electorum consen-  
sus. Possunt & Principes Imperii suis subditis collectas im-  
ponere eo modo, qui habetur in *R. I. de anno 1544. §. Es sollē  
auch alle Churfürsten/ Fürsten und Stände in sin. ibi. doch soll  
hiermit. Gail. de Arrest. c. 10. n. 17. Petr. Frid. Mind. de Mand.  
lib. 2. c. 44. n. 7. Boc. de Jur. Collect. c. 4. n. 8.* Immò Colle-  
ctæ conventionales in causis & casibus necessitatis & justis  
Cuiq; Universitati licitæ sunt, sine superioris permisso Ro-  
sentb.



*sentb. de Feud. c. 5. concl. 75. Menoch. lib. 13. Cons. 1201. n. 8.  
Nicol. Lob. de jure Univers. p. 3. c. 9. n. 1. Heig. p. 1. q. 17. in fin.*

### LIII.

#### Jus Monetæ.

Jus Monetæ l. 2. & ibi DD. C. de fals. monet. Ren. Budel. de Monet. & Re numar. lib. 1. c. 4. Boc. de reg c. 2. n. 222. Quomodo Perennium familiarem suum Commodus poenâ capitis affecit, quod numos publicos suâ imagine signasset Arnold, Clapm. de Arcan. Rerumpubl. lib. 1. c. 16. ex Herodiano & Arles quoq; eo refert rem numariam i. Oeconom. i. Coeterum à quibus dependet hoc jus, ii quoq; valorem imponent; Equidem tantum valet numus, quantum Potestas publica vult, nec semper ut valor bonitati intrinsecæ respondeat, necesse est, exteros tamen obligare nequit: Ita cusi fuere plumbei numi, & id ipsum anno 1529. in obsessâ viennâ factum testatur Ren. Budel. d. l. c. 1. n. 21. pag. 5. Ferrei. n. 22. Coreacei n. 30. n. 33. Chartacei anno 1574. Obsesso Lugduno Batavorum n. 34. Atq; in Confœderati Belgii liberâ Rep. ut si fortè ab hoste obsesæ sint civitates, & ordinaria ac recepta pecunia desit, quâ stipendium militi persolvatur, Aerea aut stannea, aut Coreacea subinde Chartacea etiam moneta cudi consuevit, cujus pretium constituitur ab Urbano Magistratu, quod longè superat valorem ejus materiæ, ex qua nova illa moneta constat. Interim sic sibi libenter satisfieri patitur miles, quia liberatâ Civitate aut deditâ, à fœderatis Ordinibus extraordinarius Quæstor constituitur, qui pro illâ novâ ac nullius propè valoris, mox reddit currentem & justipreii monetam. Dn. Boxborn. de stat Reip. Fœderat. Belg. c. 6. In Imperio Romano jus Monetæ Aureæ & Argentæ Imperatori & Electoribus tantum competiit. A. B. c. 10. hodiè plerisq; statibus, & tamen qui status quoq; non sunt. Quomodo Imperator in Capitul: promittit se nemini concessurum



cessurum jus monetæ in sciis sex Electoribus, se ademturum  
iis, qui absq; præscitu Electorum acquisierint, & imprimis  
Civitatibus, quæ non immediatè Imperio, sed aliis imperii  
statibus subjectæ sunt *capit. Ferdinand. III. art. 37.* Quales  
*Arniseus* dicit esse Hoxarium, Halberstadium, Hannovoram,  
Osnabrugam, Mindam, Monasterium, Hildeshemium, Göt-  
tingam, Northemium, Brunsvigam, Rostochium, Stetti-  
num &c. *de jur. Majest. lib. 2. c. 7. n. 6.* Eo jure quomodo  
quis uti debeat habetur in Ferdinandi I. Neue Münz-Ord.  
zu Augspurg. *de Anno 1559.* verba hæc sunt: Ferner als sich auch  
erfinden thut/das ehliche so Münzens Freyheit erlanget/ Ihre  
Gerechtigkeit andern verkauffen/verleihen oder in andere We-  
ge vergönnen und zustellen daraus nicht geringer Schaden dem  
gemeinen Nutzen eine zeitlang entstanden/das die Münzen hiez  
durch im Abfall kommen: So setzen/ordnen vnd wollen wir/dz  
sich alle Münzgenossen/seyt gemelter unziemlicher Dinge gänck-  
lich enthalten / auch mit den Münz-Meistern oder jemand an-  
ders/ aufferhalb gebührlicher Besoldung in keinen Weg paci-  
sciren oder einig Beding machen/sondern das ein jeder Münz-  
Herr oder Standt auff sein selbst eigen Kosten vnd Verlag /  
mit Gold/ Silber und allen andern die Münz (so Er anders  
münzen wil) vorlegen / zu dem unser vnd des Reichs vnd seit  
Münz frey/ohne alle Gefährde auffrichtig halten soll; Da aber  
jemand/wie obengemeldt/in einen oder mehr Puncten zuwieder  
handeln würde/ der soll alsbald dadurch mit der That in unser  
und Reichs schwere Bagnadt gefallen seyn/daneben auch seine  
Münz-Freyheit oder Gerechtigkeit verlohren oder verwircket  
haben. *N. A. de anno 1570: S. alsdann auch: de anno 1551. S.*  
So haben Wir. *Sixtin. de Reg. c. 7. n. 52. Rumel. ad A. B. diff.*  
*S. conclus. 30.* Exiis, quod Moneta Majestatis jus est, sponte  
suâ manat, si quis utatur eo, cui non competit, Majestatem  
lædere & solet flammis comburi *l. 2. C. de fals. monet. P. H. D.*

*art.*

*art.*



*art. III. Dn. Carpz. p. 4. c. 4. defn. 16. n. 10. & in pr. Crim. p. 1. q. 42.* quam pœnam ad Eos quoq; extendunt, qui cudentibus auxilium & opem præstant. *n. 66. & seqq.* Domus, in qua falsa moneta sciente Domino cuditur, fisco vindicatur *d. art. III.* Notandum tamen & ratione formæ & ratione materiæ hoc crimen committi, & pœnam quoq; ideo non semper eandem esse, *secundum. art. III. & DD.* Manet quoq; ejusmodi falsificantem falsi Crimen *l. 2. ad L. Corn. de fals.*

LIV.

Via publicæ Flumina navigabilia & Portus.

Via publicæ, Germanis *freyhe Kaysersliche Reichs strassen* / quatenus Principi incumbit, Magistratus cogere, ut tueantur & muniant eas, nec non malis purgent hominibus *l. 3. l. 4. C. de privil. Dom. august.* atq; hoc sensu inter Majora Regalia referuntur. *Sixtin. de Reg. lib. 2. c. 2. n. 9. Boc. c. 2. n. 144.* Tenetur ne vero Dominus Territorii refarcire damnum, iis qui rapinam passi sunt? nos, si pedagium solutum fuerit, & via regia non neglecta, Affirmamus cum *Becht. de securis. & salvo. conduct. 8. 62 Henric. Klock. de Jur. vectigal. 8. 77. Gail. lib. 2. obs. 64. Minsing. c. 5. O. 70. Dn. Carpz. in pr. Crim. part. 2. q. 91. n. 58. & seq.* Non alio modo referuntur ad hanc majorum Regalium Classem FLUMINA NAVIGABILIA *Rosent. de Feud. c. 5. concl. 23.* ut nimirum operis coactis, flumina navigationibus apta sint & maneant, *Vult. de Feud. lib. 1. c. 5. n. 7. Boc. c. 2. n. 164.* Ut ut enim usus communis, proprietas tamen Principis est, quia omnia Regalia eo jure ad Eum pertinent *Sixtin. c. 3. n. 31.* Nec alio modo PORTUS, poterit enim & circa hos disponere Princeps *Cœpoll. de servit. rust. prad. c. 28.* qui qualis locus sit describitur *in l. 59. ff. de V. Sl.* Atq; nunc cum in iplo portu stem, contraham vela, & si uti spero, benè hæc mea navigatio cesserit, iterum tentabo mare hoc & advecturus tunc ea, quæ noviter extructæ naviculæ angustia hæc vice non capiebat; Si quæ omissa, uti sunt, supplebo tunc, & quæ restat, alteram partem fortè curatius prosequar. In æternum Servatori meo JESU CHRISTO GRATIAS ago, & finio hemistichio illo modestiæ pleno.

*Cedam meliora docenti.*



00 A 6456

ULB Halle

3

002 929 244




R

Worm











B.I.G.

Farbkarte #13

25

27

CO-POLITICA.

TATE

RIBUS,

MAJORA

o Jctorum ordine  
deburgicâ

is, *Excellentissimi*  
*isimi*

CI von JENA,

narii ac Amplissima  
P. t. DECANI,

sui perpetuô colendi,  
ii horis solitis

efender  
von Röschau /  
nus A. & R.

DC LIII.

KOCHIANIS

tus, Acad. Typ.